# PHILOSOPHIA PERIPATETICA EX MENTE S. THOMÆ AQUINATIS...

Alessandro Politi

Digitized by Google

3. 7. 542

VII
POLIT

Digitized by Google

Digitized by Google

# PHILOSOPHIA
## *PERIPATETICA*

EX MENTE S. THOMÆ AQUINATIS
Per breves Theſes ad Ariſtotelicam
methodum explicata
AB ALEXANDRO A' S. SIGISMUNDO
FLORENTINO SCHOLAR. PIAR.

*QUAM,*

*Occaſione ſolemnium Diſputationum in S. Mariæ
ad Riccios habendarum,*

Publici juris facit,

ET REGIÆ CELSITUDINI

# COSMI III.

MAGNI ETRURIÆ DUCIS

*IN ÆTERNUM OBSEQUII PIGNUS
L. M. Q. CONSECRAT*

FRANCISCUS MARIA CHIMENTONIUS
Eccleſiæ Florentinæ Clericus.





FLORENTIÆ. MDCCVIII.

Ex Typographia Michaelis Neſtenus,
& Antonii-Mariæ Borghigiani.
*Superiorum licentia.*

Digitized by Google

Digitized by Google



# MAGNE DUX,



Uùm poſt vindicatas à barbarie Litteras Mediceæ Genti bonæ omnes Artes plurimùm debeant, tùm in primis Philoſophia Atq; ut Platonica interim



Digitized by Google

terim prætermittatur, quam Cosmus Maior, Pater ille Patriæ, Petrus & Laurentius Medicei à Marsilio Ficino, acris viro ingenij summæq; eruditionis, illustrari curarunt: Peripatetica certè Philosophia videtur omni tempore apud Mediceam Domum, veluti tutissimum asylum sapientiæ, hospitium suum habuisse. Nam & Laurentij eiusdem institutor Johannes Argyropylus Aristotelis libros summà cum laude interpretatus est, eosq; Cosmo inscripsit; & Leone X. Pontifice, inter alia egregia veterum auctorum monuméta, quatuor & decem de Ægyptiacâ Sapientiâ libri primùm reperti sunt, quos Aristoteli adscripsere; & denique, Cosmi I. Magni Etruriæ Ducis auspicio, Cyriacus Strozza Aristotelis Politica, duobus additis libris,
iocu-

locupletavit. Cosmi, inquam, ad multorum vel Regum invidiam, verè Magni, qui parvo in Imperio magnam Augusti fortunam visus est æmulari. Huic autem quùm non minus hæreditario iure in Principatũ, quàm in virtutẽ, successeris, Cosme III. res ipsa, & Aristotelicæ sapientiæ patrocinium admonuit, ut Peripateticam hanc Philosophiam, per breves Theses, ex Aristotelis ipsius methodo, explicatam, quam publicè defendendã suscipio, tibi potissimùm consecrarem. Ea nanque tua est in Deum pietas, in populorum gubernatione prudentia, apud exteros auctoritas, inter partium factiones, quibus miserè scinditur Europa, animi moderatio & adiaphoria, omnium denique, quæ Principem commendant, virtutum instructio, ut,

ſummo Etruriæ noſtræ bono, cui abſolutiſſima præluces ad omné ſapientiam norma, veriſſimum comprobes celebre illud Platonis effatum, benè tùm demùm cum rebus humanis áctum iri, quando vel Philóſophi regnarét, vel Reges philoſopharentur. Excipe ergo, ut ſapientem decet, hanc eandem, quæ ſinum tuum ambit, & patrocinium, Philoſophiam; tuiſque, quibus præes, prodeſſe diutiùs perge. Ita vovebam

Regiæ tuæ Celſitudinis

*Humillimus, & obſequentiſs. ſubditus*
Franciſcus Maria Chimentonius.

Digitized by Google



# AD BENEVOLUM LECTOREM AUDITOREMQUE

# PRÆMONITIO.

NON *ut muneris nostri pompam ambitiosius venditemus; sed ut totam Operis hujusce formam & consilium agnoscas: pauca te præmonendum duximus, quisquis coram ades, aut benevolus Disputationum nostrarum auditor, aut curiosus Scrutator Peripateticæ Philosophiæ. Eam nos hîc tibi per breves Theses Aristotelicâ methodo explicatam tradimus, qualem & Solemniũ Disputationum ratio exigebat, & nos anteà ad eum usum digesseramus.* Nec *enim instituti nostri fuit, Aristotelis Libros & Sensus in Synopsim fidè redigere, aut totius textus analysin strictiùs repræsentare. Quod jam alii satis accuratè & distinctè præstiterunt, exem-*

 plum

*plum secuti Geographorum, qui vastas, latèque patentes regiones & regna parvâ in tabella omnium oculis subiiciunt. Sed quum, ex vulgari philosophantium consuetudine, in utramq; altercandi partem prompta exercenda essent adolescentium ingenia; visum est tandem nobis, ea omnia simul amplecti, &, qua potuimus, brevitate sub unum veluti adspectum ponere, de quibus cadere apud nos posset disputatio: ut scilicet qui in Peripato nostro ad illa studiosè decurrunt, quæ describit Lucretius,*

Edita doctrinâ Sapientum templa serenâ;

*in promptu haberent, quidquid sibi ad majorem veritatis illustrationem impugnandum esset, ex innumeris, quibus quotidiè fervent Scholæ, Philosophorum diversè sentientium decretis. Nam ea illorum est de omnibus ferè rebus dissensio, ut lepidè Seneca in Claudii Cæsaris Apocolocyntosi luserit, faciliùs inter Philosophos, quàm inter horologia convenire. Frustrà autem omnis est disputatio, si quid alter sentiat, & quomodo sit tibi aliena redarguenda Sententia, ignores.*

*res. Certum itaque ſcopum, quò diſputantium collimarent tela, præfiximus: si imbecillitas noſtra ſatis iis retundendis erit, atque, ubi vires deſint, auditorum ſuccurret ſummâ cum eruditione conjuncta humanitas. Porrò in qualicunque iſtâ quęſtionum agitandarum anacephalæoſi ordinatiùs nos procedere non poſſe cenſuimus, quàm ſi eum ſervaremus ordinem, quem tenuit ſummus methodi magiſter, & Philoſophorum Princeps Ariſtoteles. Si enim Socrates ejus ſe ducis veſtigia, ut Dei cujuſdam, ſequuturum profitebatur, qui rectè partiri ſciret: cur ſtandum nobis omninò non fuit Ariſtotelicæ methodo, qua ita ſuis quæque aptantur locis, viam ubique parantibus notis ad ignota, facilioribus ad difficiliora, ut poſtquam totam Philoſophiam quis percurrerit, planè intelligat, ſe ad ſummum Sapientiæ apicem pervenire non potuiſſe, niſi per ea veſtigia, quibus Philoſophus præivit? Cogitabamus etiam nobiſcum, non parùm conferre iſtam, quam preſſimus, methodum, ut Peripatetici tyrones aliquam Ariſtotelicorum Librorum notitiam aſ-*

*ſequantur: quùm turpe nobis videretur, neſcire Ariſtotelicos Philoſophos, quænā ſit Ariſtotelica Philoſophia; & dum fons abundè ſuppetit, ex quo innumeri profluxere Sapientes, rivulos ſectari. Quare Libros omnes, qui certè extant, Ariſtotelis hîc proponimus, & ex eorum ſingulis aliqua theoremata, quibus materia diſputationibus, & excolendis per diſputationes ingeniis præparetur. Quia tamen Ariſtoteles ſæpè* ταυ7ολόγος *varia ejuſdem argumenti in variis libris proſequitur, quæ proinde fuerant à nobis exactè Ariſtotelicum ordinem tenentibus, cum legentium faſtidio, repetenda: idcircò ſatis habuimus, ea omnia tàm late in pluribus libris diſperſa & disjuncta in unum duntaxat locum congerere, atq; ad eum reducere librum, cujus ea de re fuiſset propria & peculiaris tractatio. Sic, ut uno exemplo redimamus plura, ad libellum de Virtutibus & Vitiis, qui catalogi potiùs nuncupationem meretur, quàm libri, remiſimus quidquid de Virtutibus erat Philoſophus in Ethicis commentatus. Quod ideò monemus, nequis præcipiti judicio nos*

*re-*

Digitized by Google

*reprehendat, quasi nihil minùs à nobis servetur, quàm Aristotelica methodus, ubi eam maximè profitemur; prætermissis iis, de quibus Aristoteles fusiùs agit, aliisque allatis, quorum eo in loco fortassis nulla; alibi verò luculentior habetur explicatio. Nam si ubicunque aliquid disserit Aristoteles, esset in nostra Theoremata relatum, aut temerè fuissent commiscenda omnia, aut quod posteà in propriâ tractatione ad rem proponeremus, non habuissemus. Ut si præcepta Oeconomica festinatò præoccupassemus in Politicis, quorum primo libro omnia boni Oeconomi munera & partes deducuntur; quid deindè supererat nobis reliquum in Oeconomicis, huic propriè argumento destinatis libris? quemadmodum etiam nihil aut parùm excerpi ex Libro de Sensu & Sensili potuisset, si quæ ad sensus spectant, fuissent in Libris de Animâ præmissa. Immò non adeò religiosè in omnibus Aristoteli adhæsimus, ut aliquando, ubi apertè refragabatur veritas, ab ejus doctrinâ non recederemus. Licere nanque nobis existimavimus, quod & Aristoteli li-*



Digitized by Google

*cuit & ejus magiſtro Platoni, cujus celebre fertur effatum: charum quidem ſibi eſſe Socratem, ſed veritatem chariſſimam. Quapropter ibi potiſſimùm Ariſtotelem ſequimur auctorem, ubi nos ab illo veritas diſſentire cogit. Multa quoque ex arbitrio noſtro nova, & procul ab Ariſtotelis ævo remota; noſtrorum autem temporum mori ſatis congrua, ut rerum diſputandarum occaſio ferebat, inter miſcuimus: ita ut aliquâ ex parte Ariſtotelis potiùs methodum pro libertate noſtrâ adhibuiſſe videri poſſimus, quàm ſectati ſententias. Atqui, inter diverſa hominum inſtituta, Sapientis eſt ſuis ſe temporibus & genti accomodare. Græcis ſiquidem ſcribebat Ariſtoteles, Ethnicis Ethnicus: nos Latinis & Chriſtianis, quibus vix aliquid eſt cum priſcis & barbaris illis Gentium non Barbararum ritibus commune. Neque verò qualitercunque nos Peripateticæ Philoſophiæ nomen dedimus; ſed duce atq; interprete S. Thomâ Aquinate, tutiſſimo Chriſtianæ veritatis Philoſopho: ad cujus idcircò mentem fuerunt à nobis ſenſa Ariſtotelis contemperanda.*

Ni-

*Nimirum ut Catholicæ Religioni magis prosit in Christianis Philosophis Aristotelica Philosophia, quàm olim in Ethnicis nocuerit. Illud præterea diligenter cautum est à nobis, ne aliquis Theorematis nostris obiiceret, quod de Senecę scriptis immeritò dicere Caligula consueverat,* arenam esse sine calce. *Quanquam ergo brevis hæc Anacephalæosis res tàm diversas, quàm quæ maximè, amplectatur, cælum, terram; Spiritum, corpus; immortalia, caduca; Summa, infima: non diffluentes tamen & sparsas Theses exhibemus; sed, non modico sanè labore nostro, ita concatenatas, unoque Sermonis filo contextas, ut postquam omnes à primâ ad ultimam percurreris, unam quandam continuamque Orationem tibi perlegisse videaris. Quò non parùm contulit rationes sæpè dictorum afferre, quibus pleraque inter se primo adspectu dissita connecterentur. Profectò indigna Philosopho, nuda sine ratione auctoritas.*

*Hæc præmonitum te voluimus, benevole Lector atque Auditor: ut quas ad privatum tyronum nostrorum usum dis-*



Digitized by Google

*posueramus Peripatetico-Thomææ Sectę Theses, publici jam juris factas gratanter excipias, tuæque benignitatis favore prosequaris in solemni istâ Disputationum, quibus illas timidi, tuâque humanitate confisi subiicimus, celebritate.*





PHI-

# PHILOSOPHIA
## PERIPATETICA
### EX MENTE S. THOMÆ AQUINATIS

*Per breves Theses ad Aristotelicam Methodum explicata.*

I. EX omni naturalium bonorũ copia, quibus Deus uberrimè humanum genus locupletavit, censeri in primis Sapientia debet, cui Pythagoræ modestia Philosophiæ nomen fecit. Hęc, quæ primùm Adamo infusa, atque in posteris per peccatum obnubilata, & ferè extincta, non nisi summo labore, atque industria comparatur; nihil est aliud, quàm rerum humanarũ & divinarum caussarumque, quibus hæ res continentur, Scientia. Quid quid enim hominis perfectio exigit, hoc docet Philosophia. Unde quum veritatis cognitio, rectaque morum institutio ad hominis felicitatẽ conducat; rectè in Theoreticam, & Practicam eadem Philosophia dividitur: sub cujus universim ambitu quatuor illæ principes Scientię comprehendun-



Digitized by Google

tur, Logica, Physica, Metaphysica atque Ethica, per quas ex altioribus principiis docetur homo ratione sua bene uti, naturam naturæque auctorem contemplari, & demùm vitam suam ad honestatis normam componere.

II. Quòd si necessaria maximè homini est Philosophia, tum ut animum suum veritatis cognitione virtuteque excolat, tùm ut Rempublicam administret, expleatque, ut decet, quæ sunt humanæ vitæ munera, tùm denique ut ad Catholicæ Fidei doctrinam firmiùs & constantiùs præparetur: oportet quoque, qui Sapientiæ studium profitetur, eum sibi magistrum adsciscat, cujus ductu tutiùs queat in sacra Sapientiæ penetralia introduci: ne, dum plures sequitur discordes sibi philosophos, aberret potiùs, quam ad metam perveniat veritatis.

III. Quanquam verò, ob summam humani ingenii fœcunditatem, plura emerserint philosophantium genera; Dogmaticorum scilicèt, Scepticorum atque Acatalepticorum; è quibus celeberrimæ apud Græcos Sectæ, Jonica atque Italica, quarum prima auctorem habuit Thaletem Milesium, altera Pythagoram, in plurimas quælibet divisa est familias, quotidiè novarum opinionum capitibus pullulantibus: nos tamen, veluti nostrorum temporum consuetudini magis consonam, interpretumque, qui eam illustrarunt, industria florentissimam, absque

alia-

aliarum & potiſſimùm Platonicę Scholæ injuria; eam ſeligimus doctrinam, præſtantiſſimum Jonicæ familiæ partum, quam vir Summus, & per antonomaſiam Philoſophus Ariſtoteles Stagirites in Lycæo tradidit, ab auctoris obambulatione Peripateticam dictam.

IV. Natus eſt autem Ariſtoteles Olympiadis XCIX. anno primo, patre Nicomacho, matre Phæſtide. Quum ad 17. annos perveniſſet, Athenas profectus, Socratem per annos tres, atque, eo extincto, Platonem per 20. audivit: à cujus tamen poſteà doctrina, ſive æmulationis, ſive, ut Ammonius explicare conatur, veritatis ſtudio receſſit. Inde quanvis, ut ſcribit Timotheus Athenienſis, loquendo balbutiret; præfectus eſt tamen Alexandri Macedonis inſtitutioni, dignus Magno diſcipulo Magiſter. Poſtquam verò Athenas iterùm ſe recepiſſet, præfuiſſetque Scholæ in Lycæo annos 13. quòd malè de Diis ſentire viſus eſſet, hymno in Hermiam Eubuli Servum celebrato; veritus calumniatium Athenienſium inſidias, qui ſuam jam olim in Socrate probaverant ſeveritatem; Chalcidem ſe conferens, ibidem cicutæ potu vivere deſiit, anno ætatis tertio ſuprà 60. Vir ſanè immortalitate digniſſimus, qui, ut Ammonius ait, in ſtudiis Philoſophiæ modum humani ingenii exceſſit. Multa ille ſcripſit, quorum texit catalogum in ejus vita Laertius; ſed



Digitized by Google

pleraque heu! interciderunt: pauca, in quibus videtur obscuritatem affectasse, corrupta atque adulterata ad nos pervenere.

V. Itaque quum ad veram Aristotelis mentem expiscandam necesse sit fidum interpretem sequi, quo praeeunte quaelibet Peripati adyta patefiant: non omnium tamen, qui in Aristotelè egregiè scripserunt, ut sunt Theophrastus, Alexander Aphrodisiensis, Themistius, Simplicius, Philoponus, Averroes, aliique multi, quò antiquiores, eò majori digni fide; interpretationi standum esse putamus: sed unius duntaxat Sancti Thomae Aquinatis auctoritati, qui licet antiquioribus interpretibus non sit accensendus; eam nihilominus Aristotelicae Philosophiae facem praetulit, ut benè olim dixerit Johannes Picus, sine Thomà mutum futurum fuisse Aristotelem.

## EX PROLEGOMENIS DIALECTICÆ.

VI. HOC igitur duce, qui ita Aristotelem est interpretatus, ut impiam eius in multis Christianisque Patribus summè infensam doctrinam coegerit Christianę Fidei deservire, exemplum secuti Zenonis, Apollodori, ipsiusq; Aristotelis, qui absurdum esse monet, simul scientiam quaerere & modum sciendi; initium a Logica facimus, praevio ad alias quascunque disciplinas instrumento, quam Petrus Hispanus,

Ar-

Artem Artium, & Scientiam Scientiarum non immeritò appellat, qua via ad omnium methodorum principia aperiatur: quòd non solùm sit ipsa Ars Liberalis, veraque Scientia; verùm etiam ad perfectam aliarum Scientiarum comparationem simpliciter necessaria. Unde etiam Sanctus Augustinus Disciplinam Disciplinarum vocat, quæ docet discere, quæ sola Scientes facere potest.

VII. Hoc nihilominus est de artificiosa tantùm Logica intelligendum, non de naturali, quæ est ipsa ratio hominibus omnibus communis. Ita verò est Scientia, ut non quia humanã mentem dirigit ad bene rectèque ratiocinandum, sicuti ab Ethica dirigitur ad bene vivendum voluntas; idcircò censenda sit simpliciter practica, aut partim practica, partim speculativa, aut eminentia quadam speculativa simul & practica. Enim verò, si propriè loqui velimus, tota simpliciter est Theoretica, quia tota circa speculationem versatur: quanvis hujusmodi quæstio apud plerosq; auctores, qui acriter inter se digladiantur, utrum idem de Dialectica, ac de Ethica Philosophia, judicium ferri debeat; sit mera de nomine controversia,

VIII. Etenim, certà Dialecticorũ omnium sententià, efficit Logica, efficiendumq; docet quidquid speculatur: neque differendi solùm regulas tradit; verùm etiam redigit ad usum. Quare illam vulgata divisione in

Do-

Docentem & Utentem rectè distinxere: non quòd præceptorum Logicorum usus, & doctrina à duobus specie habitibus profluant; sed quòd duo sint ejusdem specificè habitus munera, ad quem docere simul pertinet, præceptisque uti, tùm in parte topica, & Sophistica, de qua per probabilia, & captiosa principia disputare potest; tùm in demonstrativa aliarum Scientiarum: quatenus Logica aliis Scientiis, quibus ancillatur, artificiosum subministrat differendi modum, dispositis in Syllogisticam formam earum demonstrationibus.

IX. At Docentis Dialecticæ quatuor enumerantur partes, Isagogica, Categorica, Hermeneutica atq; Analytica: quibus omne munus suum absolvit. Eò enim unicè collimat Logica, ut mentem ad veritatis cognitionem dirigat. Quum autem, tribus veluti gradibus, quamcunq; cognitionem humana mens assequatur, apprehensione, judicio, ratiocinatione; per illas partes abunde docet Logica quidquid facit ad clarè & distinctè percipiendum, verè judicandum & rectè ratiocinandum. Quapropter barbarè quidem; sed tamen verè, Obiectum ei formale atq; adæquatum adstruit Sanctus Thomas secundam illam, ut vocant, intentionem, quam ratio in rebus consideratis adinvenit, quæque in rebus non invenitur, sed considerationem rationis consequitur; seu Ens rationis, non sanè in tota ejus latitudi-



Digitized by Google

ne; ſed quatenus intellectum in ejus actibus dirigit, ut benè definiat, benè dividat, benè argumentetur.

## EX PORPHYRJ ISAGOGE.

X. ANtequam autem Ariſtotelis Logicā aggrediamur, præmitti debet, quam in Ariſtotelicas Categorias ad Chryſaorium ſcripſit Porphyrius, Iſagoge. Eſt enim ea inprimis opportuna ſatis, atque ad exactam definitionum, diviſionum demonſtrationū-que cognitionem neceſſaria. Unde vel hoc ipſo nomine Platonicus Philoſophus inter primos recenſendus eſt auctores, qui benè de Ariſtotele meruerunt.

XI. Sed ne ea prætermittamus, à quorum abſtruſiſſima tractatione abſtinendum ſibi eſſe præfatur Prophyrius; aſſerimus, præter voces & conceptus, admittendas eſſe naturas univerſales, hujuſmodi vocibus & conceptibus repræſentatas: non quòd ſub ſtatu univerſalitatis à parte rei extra ſingularia exiſtant (quæ opinio falsò tribuitur Platoni: quum ipſe, qui a Chriſtianorum doctrina parum abfuit, nihil aliud intellexerit, quàm ideas divinæ mentis) Sed quòd per intellectum ab omni ſingularitate præciſæ, hanc induant univerſalitatem.

XII. Ante omnem igitur intellectus operationem naturis nulla competit univerſalitas, aut communitas, nulla unitas formalis

Digitized by Google

lis positiva, nulla aptitudo, aut indifferentia ad plura: sed hæc omnia naturis ratione status intelligibilis, quem in mente humana habent, attribuuntur: ita ut universale Metaphysicum per abstractionem intellectus tàm positivam, quàm negativam producatur; ad universale verò Logicum comparatio requiratur, simplex tamen, & non composita.

XIII. Est autem ea completa divisio, & univoca, veluti generis in Species, Universalis: scilicet in Genus, Speciem, Differentiam, Proprium & Accidens. Porrò Genus illud intelligitur, cui subiicitur Species, seu quod pluribus & differentibus Specie attribuitur in quæstione quid est: adeoq; quanvis cum Differentia Speciem constituat; quando tamen de Specie prædicatur, non ut pars prædicatur, sed ut totum potentiale. Unde eam esse constat specificam, de qua proprie loquimur, differentiam, qua Species excedit genus, sive quæ pluribus & differentibus specie attribuitur in quæstione quale quid est, sive quæ naturalem vim habet ea dividendi, quæ sub eodem genere continentur. Et quidem in rebus compositis desumitur, veluti à radice, genus a materia, & differentia à forma; proximum verò generis & differentiæ principium in quibuscunque creatis substantiis, etiam simplicibus, est potentialitas, & actualitas rei.

XIV. Non

Digitized by Google

XIV. Non hìc verò sumitur species pro pulchritudine, quæ imperio digna visa est Euripidi; sed pro eo, quod generi substernitur, & definitur: quod pluribus & differentibus numero attribuitur in quæstione quid est. Sicuti autem differentia non constituitur formaliter universalis, quia respicit speciem, sed per ordinem duntaxat ad inferiora speciei: ita quoque species non habet formaliter rationem universalis, quatenus generi subiicitur; sed quatenus individuis superior est, & de illis prædicabilis.

XV. Sed & illud inter genus, & speciem intereſt discriminis, quòd quanvis impossibile sit, genus, quod de essentia sua totum est potentiale, in unica tantùm specie consistere; fieri tamen potest, ut species in unico tota individuo reperiatur. Immò, si est aliqua specifica natura, quę in uno exhauriatur individuo, ita ut individuorũ multiplicatio ei intrinsecè repugnet, qualem ex Doctoris Angelici sententia naturam Angelicam supponimus: hæc profectò, quantum est ex modo nostro inadęquatè concipiendi, fieri potest logicè universalis.

XVI. At longè secus inferioribus suis attribuuntur duo, quæ restant, Prædicabilia. Nam Proprium, quod de specie, & omnibus speciei individuis, veluti quid adventitium, necessariò dicitur; propriè soli, & omni, & semper convenit: Accidens verò, utpote quod contingit eidem inesse, & non

in

inesse, adestque & abest, absque Subjecti corruptione, contingenter prædicatur. Attamen quæcunque illæ sint naturæ universales; has certum est in actuali prædicatione universalitatem, saltem Metaphysicam, non amittere.

# PHILOSOPHIA ARISTOTELICA.

## EX LIBRO CATEGORIARUM.

XVII. Ecce à Porphyrio introducti, Peripatum ingredimur: cujus primo statim limine quum ea sint præmittenda, quæ ad simplicem faciunt apprehensionem dirigendam; sese nobis offerunt Categoriæ, suprema rerum omnium genera in varios ordines, classesque disposita. Decem eæ enumerantur, nempè: Substantia, Quantitas, Relatio, Qualitas, Actio, Passio, Ubi, Quando, Situs, Habitus. Itaque primum inter has sibi locum vindicat Substantia, cujus formale constitutivum non negatio est, sed positiva ratio perseitatis. Etsi verò omnes creatæ substantiæ, completæ quidem, nulla penitus vel Angelorum excepta; immò etiam ipse Christus, ratione humanę naturæ, sub Categoria Substan-

Digitized by Google

ſtantiæ collocentur: Deus tamen neque esse, neque dici Categorica ſubſtantia poteſt.

XVIII. At Quantitatis, quam Nominales, & Cartheſiani à ſubſtantia indiſtinctam perperam volunt, ratio formaliter conſtitutiva in diſtinctione diſtributioneque partium conſiſtit. Ejus vera diſtinctaque Species eſt numerus: ſed non locus, non tempus, non motus, non oratio. Lineæ tamen, ſuperficiei & corpori nihil deeſt, quin inter proprias quantitatis ſpecies recenſeantur.

XIX. Dantur etiam à parte rei veræ relationes, quarum eſſentia nihil aliud eſt, quàm ad aliquid modo quopiam eſſe affectum: atque idcircò realiter à fundamento remoto, quod eſt ſubjectum, diſtinguuntur; à proximo autem ſaltem modaliter. Et quia relationum alia mutua eſt, alia non mutua; non eundem formaliter terminum utraque habet. Nam relationis mutuæ terminus aliquid eſt formaliter correlativum: non mutuæ autem terminus fundamentaliter tantùm proximè relativus eſt & extrinſecè. Fundamentum ſimul & terminus dant unitatem ſpecificam relationi, quæ unitatem ſuam numericam deſumit ab unitate numerica ſubiecti. Unde ex multiplicatione terminorum ejuſdem rationis non multiplicatur numericè in eodem ſubjecto relatio.

XX. Qua-

XX. Qualitas verò, qua, juxtà Aristotelis descriptionem, aliqui quales dicuntur, rectè & completè in quatuor Species dividitur: nempè Habitum & Affectionem; Vim naturalem & Imbecillitatem; Patibilem qualitatem & Passionem; Figuram & Formam. Quas inter species Habitus ex principiis suis essentialibus ab affectione discriminatur.

XXI. Sex reliqua tandem inferioris conditionis Prædicamenta non sunt denominationes extrinsecæ, neque in relatione consistunt: sed intrinseci quidam rerum modi, qui à principio tamen dependent extrinseco. Atque ii quidem prædicamentales modi (quid quid sit de aliis non prędicamentalibus) à re ipsa, cujus sunt modi, realiter discernuntur. Verùm ab Ubi Categorico procul amandanda Ubi Divinum, Angelicum & Sacramentale.

XXII. Quemadmodum autem Categoriis Aristoteles præmisit, quæ Antepredicamenta vulgò dici solent; ita & subdidit, quæ Postprędicamenta idcircò appellantur: ubi quatuor assignat oppositorum genera, Relata scilicet, Contraria, Privantia, & Contradicentia; modosque, quibus unum aut est prius alio, aut simul cum illo:& sex facit motus Species, nempè: generationem, corruptionem, auctionem, diminutionem, alterationem, & loci mutationem: & denique, quot modis aliquid habeatur, explicat.



Digitized by Google

XXIII. AD ſecundam mentis operationem dirigendã pertinent, quæ ſequuntur de enunciatione, per quam latens mentis noſtræ judicium ſignificamus. Hinc occaſione ſumpta de ſigno agi ſolet, quod in ratione formali Signi univocè dividitur in formale & inſtrumentale; itemque inſtrumentale univocè in ſignum naturale & arbitrarium. Voces autem, quæ ſunt ſigna ex hominum inſtitutione, ad res & conceptus unica ſignificatione denotandos ſunt deſtinatæ. Quod ſi ad placitum non ſignificant, termini logici appellationem non merentur.

XXIV. Quidditas verò formalis termini enunciativi eſt, eſſe partem propoſitionis, aptitudine ſaltem, ſi non actu. At nomen infinitum & caſus obliqui a ratione nominis excluduntur, quod rectè definitur, vox ſignificans ex inſtituto, ſine tempore, cujus nulla pars ſignificat ſeparatim. Sicuti etiam verbum, vox ſignificans cum tempore, cujus nulla pars ſeorſim ſignificat, atque ſemper eorum, quæ de alio dicuntur, Signum: itemque oratio, vox ſignificativa, cujus partium aliqua ſeparata ſignificat, ut dictio, non ut affirmatio vel negatio.

XXV. Univocę quoque ſunt generiſque in ſpecies, diviſiones propoſitionis in categoricam & hypoteticam, affirmativam & ne-

Digitized by Google

negativam: quarum categorica si mente tantùm exprimatur; probabiliùs est eam esse simplicem qualitatem, seù conceptum, quàm plures unitate ordinis compositos.

XXVI. Oppositionum autem, quæ propositionibus competunt, maxima est contradictoria: ita ut inveniri nullatenus queant duæ contradictoriæ simul veræ, aut simul falsæ. Quod etiam verum est in propositionibus contingentibus sive de futuro contingenti: licet neutri istarum ante divinum decretum insit determinata veritas, aut falsitas. Contra verò tantam propositiones in materia necessaria firmitudinem habent, ut iis, independenter ab omni decreto, æterna veritas asseratur.

## EX LIBRIS ANALYTICORUM PRIORUM,

XXVII. AD tertiam tandem intellectus operationem, qua unum ex alio deducitur, fit in Libris Analyticorum transitus: in quibus quidquid ad argumentationem, tàm ex parte materiæ, quàm ex parte formæ spectat, examinatur. Argumentationum autem quanvis variæ afferantur Species, ut Enthymema, Inductio & Exemplum; prçstantissima tamen est Syllogismus, oratio, scilicet, in qua quibusdam positis, aliud quidpiam ab iis, quæ posita sunt, necessariò accidit eo quòd hæc sunt.

Pro-

Propositionibus nanque terminisque ita inter se connexis, dispositisque constat, ut ex præmissarum veritate necessaria conclusionis veritas consequatur.

XXVIII. Quòd si quis termini Syllogistici definitionem petat; eum nos cum Aristotele appellamus in quem dissolvitur propositio, ut attributum & id cui attribuitur: sive adiiciatur, sive separetur esse, vel non esse. Quare de ratione formali termini Syllogistici est, quòd extremum sit propositionem & Syllogismum componens. Plures autem, quàm tres termini, Syllogismi compositionē ingredi non possunt: quum omnis ars Syllogistica eo principio nitatur: unienda esse inter se duo extrema in conclusione eo quòd in præmissis cum uno tertio unita fuerint. Unde sequitur, conclusionem ad Syllogismi essentiam omninò requiri.

XXIX. Quoniam verò Aristoteles tres tantùm enumerat Syllogismi figuras; non est, cur nos quartam adiiciamus, quæ ab auctore Galenica dicitur: quum ad primam, cujus est inversio, reducatur. Longè tamen plures sunt modi, sub qualibet ex istis figuris comprehensi, quorum aliqui contra artis Syllogisticæ regulas peccant, aliqui rectè, & perfectè concludunt. Sunt etiam plures Syllogismi virtutes, quarum non ultimo loco reponenda est hæc: quòd licet ex vero falsum nunquam inferatur; ratione tamen syllogisticæ dispositionis ex falso potest inferri verum.

EX

Digitized by Google

# EX LIBRIS ANALYTICORUM POSTERIORUM.

XXX. Ceterùm veriſſimum eſt Ariſtotelicum axioma; omnem doctrinam, & diſciplinam dianoeticam ex antecedente cognitione proficiſci. Tribus autem modis, qui differendi, & ſciendi modi dicuntur, ad rerum cognitionem pervenitur: definitione, quæ eſt oratio rei naturam explicans atque extra propoſitionem inveniri poteſt; diviſione, quæ totum in partes diſtribuit; & argumentatione, quæ oſtendendo, quid rei conveniat, unum ex alio infert. Plurimùm etiam ad Scientiam conducit methodus: ſive hæc analytica fuerit, quæ in inveniendis marte ſuo ſcientiis obſervari ſolet; ſive Synthetica, quæ in tradenda rerum veritate adhibetur; ſive tandem aoriſtica, qua in Re Medica uſus eſt olim Galenus.

XXXI. Sed Scientiam verè gignit argumentationum omnium princeps demonſtratio: conſtat enim propoſitionibus neceſſariis, atque evidenter certis, qnarum æterna eſt atque immutabilis veritas. Et quia ſcire aliquid poſſumus, cur ſit & quòd ita ſit: univocè dividitur demonſtratio in demonſtrationem propter quid, & demonſtrationem, ut dicunt, quia: licet prior demonſtratio ſit longè perfectior, quum veritatem

per

per caussam propriam & immediatã demonstret. Unde constare dicitur veris & primis & immediatis & notioribus & prioribus, & causis conclusionis.

XXXII. Ut verò possit propositio aliqua demonstrari, duas exigit conditiones: & quòd circà materiam versetur necessariam, & quòd probationem per aliquod medium admittat. Alioqui, si caret medio probationis intrinseco; propositio erit per se nota, primo scilicet perseitatis modo. Cujusmodi sanè propositionum aliæ quoad se, quoad nos aliæ notæ dicuntur.

XXXIII. Benè autem dictum est paullò superjùs, gigni per demonstrationem scientiam: quia agunt præmissæ ipsæ, semel jam concessæ, atque efficiunt, ut assensum deductæ evidenter conclusioni præstemus; atque ita præstemus, ut intellectus noster ex necessitate conclusioni adhæreat, cujus est cum principiis necessaria connexio.

## EX LIBRIS TOPICORUM.

XXXIV. VErùm quũ Dialectici sit probabiliter de omnibus disputare: sunt jure merito assignanda loca, ex quibus, veluti ex promptuario quodam, argumenta omnia in utramq; disputationis partem eruantur. Hinc Topicorum libros scripsit Aristoteles, ut methodum traderet, per quam posset quilibet de omni proposito problemate ex probabilibus argumentari; atque interroganti prudenter sine ullaq; dictorum



Digitized by Google

contradictione respondere:ut scilicet,quemadmodum in Libris Analyticis uberrimè ea omnia disseruit,quę ad demonstrationem spectant; ita & in Topicis explicaret, quidquid ad promptam facilemque pertinet disserendi de quacunque re exercitationem.

XXXV. Est enim Syllogismus dialecticus,qui ex probabilibus concludit. At concludit probabiliter,qui,ut probet,medio aliquo probabili utitur: ideoque,sicut demonstrativus parit scientiam; ita probabilis opinionem. Probabilia verò sunt, quæ videntur omnibus, vel plerisque, vel sapientibus, atque his vel omnibus, vel plerisq; vel maximè notis. Non sunt tamen revera probabilia omnia, quæ probabilia videntur: quibus contentiosus, ut eum vocant, Syllogismus componitur.

XXXVI. Quùm autē loca omnia illa communia, unde promuntur argumenta,& quæ, tanquam sibi propria, Dialectica vindicat, sibi Rhetores, falce in alienam messem immissa, immeritò usurpaverint: non nisi decem, tanquàm pretiosæ quædam & præcipuę reliquiæ,à Dialecticis vulgò enumerari solent, ne copia unquam desit disputationis: nempè à caussis, ab effectibus, à subjecto,ab adjunctis, à contrariis, à simili, à nomine, à definitione, à divisione, & ultimò ab auctoritate, qua in Philosophia maximè apud nos pollet, debetque apud omnes pollere, Aristoteles, & qui eum expurgavit illustravitque, Sanctus Thomas Aquinas.

EX

Digitized by Google

# EX LIB. DE SOPHISTICIS ELENCHIS.

XXXVII. Non enim eos, quos Philosophus vitandos esse monet, audire debemus Sophistas, quos scilicet non sapientiæ studium, sed prava laudis affectatio, ad philosophandum pręposterè impellit: ut videantur potiùs, quàm sint sapientes. Quia tamen non semper vitari possunt; sæpèque sunt refellendi: necesse est eorum sophismata detegere, viamque, qua falsitatis redarguantur, demonstrare. Quod præstat Aristoteles in libro de Elenchis Sophisticis: ubi per elenchum intelligit Syllogismum cū contradictione conclusionis. Sicut autē qui pulchri non sunt; pulchri tamen per fucum videntur: ita & elenchi aliqui atq; Syllogismi apparent, quùm revera nō sint nisi paralogismi, & propriè sophismata, elenchi scilicet falsi, quos qui ad alios decipiendos sectantur, dicuntur Sophistæ.

XXXVIII. Etenim quatuor recensentur argumentationum genera, quarum aliæ didascalicæ ex propriis cujusque disciplinæ principiis, non ex respondentis opinionibus concludunt: aliæ dialecticæ, quæ ex probabilibus: alię pirasticę, quę ex iis, veluti tentando, solent redarguere, quæ respondenti videntur, & quę necesse est eum scire, qui sibi scientiam arrogat: aliæ tandem eristicę, quę concluduntur ex iis, quæ probabilia videntur, nec sunt tamen; aut quùm concludere videantur, non verè concludunt. Atque hęc quidem sunt illa sophismata, quæ inter re-

ſpondendum ſolvi à Philoſopho debent : ne ſe ad aliquid falſum aut abſurdum concedendum deduci ſinat.

XXXIX. Nanque ſyllogiſmi ſophiſtici partus error eſt, qui vel ex vitioſa ſyllogizandi forma, vel ex vocibus, vel ex rebus ipſis provenire ſolet, juxtà triplicem Sophiſmatis fallaciam, formæ, vocis & rerum. Differt verò ſophiſticus hic ſyllogiſmus à pſeudographo, ſeu pſeudographemate: quòd ſophiſticus non verè ex iis conficiatur, quæ propria ſunt cujuſpiam artis, licet confici videatur; pſeudographus autem ex malè acceptis propriis ſcientię principiis procedat.

## EX LIBRIS PHYSICÆ ACROASEOS.

**XL.** HActenus de Logica. Nunc ad Phyſicam progredimur, Scientiã omni ex parte ſpeculativam, & Philoſophiæ ſpeciatim nomine nuncupatam. Ejus Objectum corpus eſt naturale, ſive motui ſubjectum, de quo, deque motu, deq; omnibus ad motum pertinentibus agitur in libris, quos ideò de Phyſico Auditu inſcripſit Ariſtoteles; quod tantæ ſint obſcuritatis, ut illorum interpretationem oporteat viva Magiſtri voce à Peripateticis tyronibus audiri. Eſt & alia de Principiis Naturalibus inſcriptio: quòd corpus omne naturale principiis quibuſdam neceſſario conſtet: à quorum proinde examine tota Naturalis Scientiæ cognitio dependet.

XLI. Definiuntur autem intrinſeca rerum principia, quæ nec ex ſe invicem ſunt, nec

ex

Digitized by Google

ex aliis: ſed ex quibus omnia. Unde ſimplicia eſſe debent, atque aliquo inter ſe modo contraria: ſicuti etiam, qui varia de principiis ſenſerunt, admiſere. Quot enim capita, tot Philoſophorum de primis principiis, quorum cognitio humanæ pars felicitatis à Poeta cenſetur, ſententiæ. Verùm, quia una eſt veritas, reiiciuntur à nobis omnes, quibus aliter de principiis rerum naturalium viſū eſt ac Ariſtoteli, quē ſibi à ſecretis Natura ipſa videtur inter alios omnes delegiſſe.

XLII. Quare non eſt unum duntaxat atq; uniforme Ens primum omnium principium, ut Parmenides & Meliſſus cenſuerunt; neq; terra, ut exiſtimavit Heſiodus; neque aqua, ut Thales; neq; aer, ut Diogenes; neq; ignis, ut Heraclitus. Sed neque pro principiis benè ſtatuuntur quatuor elementa cum Empedocle, neque numeri cum Pythagoricis, neque Deus, ideæ & materia Deo ipſi coæva cum Platone. Malè etiam alii rerum omniū primordia tribuunt confuſæ cuidam permixtioni, quæ Chaos vocatur: ſive omnia ex illa per encriſim fieri, juxta Anaximandrum, exiſtimentur; ſive omnia eſſe in omnibus, juxta Anaxagoram, qui de ſua panſpermia contra experientiam diſſeruit.

XLIII. Præcipuè tamen principiorum rationem atomis denegamus, quas olim Epicurus, & modò aſſerunt recētiores philoſophi: à quorum ſanè doctrina non multùm abſimile eſt Renati Cartheſii de quantitatis particulis figmentum. Horum autem omnium,

 quo-

quorũ egregia in Philoſophiã merita liben-
ter agnoſcimus, atque in argumentum no-
ſtri erga doctiſſimos homines obſequii, pa-
làm profitemur, elegantiùs videtur in ex-
plicãdo iſthocce Naturæ ludo ingenium,
quàm verùm de primis principiis iudicium:
dùm omnes rerum ſpecies variis materiæ
particulis globoſis, ſtriatis & ſubtilibus; va-
riiſq; illarum affectionibus, ſive motus, ſive
quietis, ſive ſitus, ſive magnitudinis, ſive figu-
ræ adſcribunt. Falſa quoq; eſt Chymicorum
opinio, quibus Mercurius, ſulphur, ſal, terra
& phlegma ſunt naturaliũ rerum principia.

XLIV. Reſtat itaque, ut Peripatetica am-
plectamur corporum naturalium principia,
privationem nempè & formã ſubſtantialem:
inter quæ, utpote contraria, cõmune aliquod
ſubjectum intercedat, neceſſe eſt, quod tran-
ſeat à privatione ad formam. Aliàs enim ne-
ganda prorſùs eſſet generatio ſubſtantialis,
quam dari & ratio et experientia docet. Un-
de tria quidem generationis aſſignari debent
principia, duo ſibi oppoſita, privatio, & for-
ma; tertium contrariorum ſubſtentaculum,
atq; utrique commune, materia: ſubſtantię
verò conſtitutę duo tantùm principia, mate-
ria, & forma. Ac proindè malè olim argumẽ-
tabantur veteres, nihil generari, aut corrumpi
ex eo quòd ex nihilo nihil fieret: quia ex ali-
quo, quod eſt ens poteſtate & non actu, ſcili-
cet ex materia, & non ex nihilo, omnia fiunt.

XLV. Non eſt igitur generationi aut cor-
ruptioni obnoxia, radix corruptionis, mate-
ria:

Digitized by Google

ria: quę primum est cujusque rei subjectum, ex quo insito fit aliquid, non per accidens; & in quod ultimum, si quid corrumpitur, abit. Et quia nec aliquid est, nec quale, nec quantum, nec aliquid eorum, per quæ ens determinatur; caret omni penitùs essentiæ suæ aut existentiæ actualitate: atque, ut existat, ita necessariò eget formæ consortio, ut neque etiam divinitus sine forma possit conservari. Quare non incongrua est illorum locutio, quibus per metaphoram materia dicitur formas appetere, a quibus omnem suam perfectionem emendicat.

XLVI. Est enim digna, quæ appetatur, forma substantialis, divinum quoddam, ut eam vocat Aristoteles, bonum, primusque materiæ actus, ac prima perfectionum omnium, quæ substantiæ naturali conveniunt, scaturigo. Immediata ejus & materię unione [ frustra enim aliquem inter utramq; nexum quidam comminiscuntur ] constituitur corporea quælibet substantia: ita ut ambæ, tanquam partes ejus essentiales, requirantur, qùm ipsa etiam humana natura nequeat in sola anima consistere. Quod non est tamē ita intelligendum, quasi, postquam mutua materiæ & formæ conjunctione coaluit substantia; ipsa veluti quædam totalis entitas à suis partibus, ut unum sunt, consideratis, distinguatur. Siquidem nihil aliud videtur esse totum, quàm omnes simul partes, non per meram quidem aggregationem, sed per intimum mutuumque fœdus conjunctæ.

 Ni-

XLVII. Nihilominus æqua non est formarũ omnium substantialiũ conditio: quia, si anima rationalis excipiatur, quę non nisi creari à Deo potest, quanvis, dum substantiæ generantur, omnes aliæ naturales caducęque formę per eductionem fiant de potentia materiæ: in creatione tamen, quæ non agit per subjecti transmutationem, simul cũ materia ex nihilo producuntur: quomodo certè in Mundi exordio elementorum cœlorumque formas concreatas existimamus, ut perfectę Dei actioni perfectus terminus correspondeat.

XLVIII. Hinc quia materia & forma sunt intranea illa principia, à quibus, veluti primario fonte, motus omnes sensibiles proficiscuntur; rectè iisdem naturæ solet appellatio attribui: quùm natura sit principiũ quoddam & caussa, cur id moveatur & quiescat, in quo inest primum, per se, non ex accidente. Huic opponitur violentia, quæ à principio inimico oritur, & rei inclinationi repugnat: ac proinde non est censendus violentus motus, ad quem res naturalem pronitatẽ habet. Quùm autem tanta sit omnium Universi partium consensio, ut inferiores superioribus subjaceant, à quibus affectiones sortiuntur suas: violentus minimè est motus, naturæ inferiori à caussa Superiori impressus, quantumvis insolitus videatur aliquando. Quod si naturalis est hicce caussarum secundarum motus; multo magis naturalis erit motio, quę à Deo, totius auctore Naturę,

pro-

Digitized by Google

profluit in creaturam: quanvis non improbemus, poſſe ab illo, ſi ut cauſa particularis agat, pati, quidquid movetur, violentiam.

XLIX. Verùm Naturam maximè imitatur Ars, quæ, licet motum naturalem per ſe ipſam efficere nequeat, adjuvat tamen, atq; ut Philoſophi verbis utamur, perficit, quæ Natura non poteſt perficere. Sæpe etiam, ſi rerum naturalium virtute adhibita, activa paſſivis applicet, mira edit opera, quæ ab ignaris hominibus perperam Dęmoni adſcribuntur, ſolitis ſuperſtitionis damnare, quæ ipſi non intelligunt. Non omnia nihilominus naturæ effecta poſſunt arte ſuppleri. An verò inter ea, quæ humanæ arti non ſubjacent, enumerandum ſit aurum, nos aliorum experimento relinquimus: hac tamen cautione, ut videant, ne, dum aurum quærunt, aurum ipſi ſuum amittant. Factum eſſe plura exempla docent: fieri non poſſe nulla apodictica ratio adhuc demonſtrat. Nos neque aſſerimus, neque negamus.

L. Quoniam verò Phyſici intereſt cauſſas omnes noſſe; quatuor eæ, juxta quatuor quęſtionum genera, enumerantur: materia, ex qua aliquid fit; forma, per quam; cauſa efficiens, à qua; & finis, cujus gratia fit. Ad cauſſam autem formalem, quæ eſt quidditatis ratio, pręcipuè reducitur idea aut exemplar, ad cujus ſimilitudinem opus ſuum artifex conformat. Atque hic inter illas eſt dignitatis gradus, ut nobilitate ceteris aliis præſtet cauſſa finalis, cauſſa cauſſarum, quę ſi non



Digitized by Google

moveret, nunquam Agens operaretur; atq; ita omnes aliç caussæ quiescerent. Omnia nanque propter finem agunt, in quem omnis Naturæ cursus collimat: nihilque fit temerè aut fortuitò, quemadmodum post Democritum & Leucippum placuit Epicuro, qui, summa Divinæ Sapientię injuria, universam naturam inani corpusculorum ludo acceptam referre voluit. Id vel in monstris videre est, naturæ peccatis: quæ nunquam contingerent, nisi Natura aliquando à fine, ad quem destinatur, aberraret.

LI. At alia perfectiori modo, imperfectiori alia ad finem tendunt: quandoquidem inanima & quæ omni cognitione carent, exequuntur tantùm id, quod ad finem conducit, ipsa ab alio directa; animantia verò apprehensa finis, ad quem moventur, bonitate, delectantur: frustrà auferente ab illis vim omnem cognoscendi Carthesio: & tandem homo non solùm finem percipit; verùm etiã media omnia, quibus finis obtineatur. Unde se ipsum proprio consilio, mediorumque electione ad eundem finem dirigit.

LII. Movetur autem ad finem homo per amorem desideriumq; quod sui inspirat finis voluntati: & quia solum bonum appeti potest; nunquam malum, ut malum, potest veluti finis concupisci. quando enim malum appetitur, ideò appetitur, quia aliqua in eo boni species relucet.

LIII. Secundus inter caussas nobilitatis locus debetur Efficienti, quæ effectu suo nobi-

bilior est, si æquivoca; aut, si univoca, æquè nobilis. Hæc aut principalis est, aut instrumentalis. Si principalis, virtute propria agit. Si instrumentalis, virtute alterius: adeo ut hæc duo instrumenti ratio omninò exigat, & quòd vim ex se aliquam agendi habeat, qua præcipuæ causæ cooperetur, & quòd à principe caussa influxum eum recipiat, quo ad effectus productionem vires suę evehantur. Non omnis tamen caussa principalis potest per se ipsam, alio non accedente principio operandi proximo, effectum profundere. Itaque licet innata agendi virtute polleant non tantùm substantiæ spirituales, sed etiam corporeæ; formaque substantialis ejus, quod agit, tanquàm præcipua caussa, ad alterius substantiæ productionem concurrat: operari tamen immediatè nequit; sed potentia aliqua atque accidente indiget, veluti instrumentaria virtute. Quare & intellectus atque voluntas realiter ab anima rationali distinguuntur.

LIV. Alio prorsus modo se habent materia & forma, quæ se se immediatè per propriasq; entitates afficiunt: adeoque non per aliquid distinctum in ratione caussæ constituuntur. Pręstantior est quidem forma, quàm sit materia, sicuti nobilior est actus sua potentia: sed utraque ignobilior est effectu, composito nempè substantiali. Omnis etiam caussa effectum suum si non tempore, natura saltem, præcedere debet, qui neque à duabus ejusdem ordinis caussis adæquatis effe-

poteſt, neque idem quoad individuum ab alia individua cauſſa produci.

LV. Sed & fortunæ, caſui & fato ſolent homines eventus plerunque imputare, de quibus monitum S. Auguſtini ante oculos habendum: ſententiam tenendam corrigendãque eſſe linguam. Neq; enim puerili Ethnicorum errore Fortuna eſt nobis, veluti quędam Dea, concipienda, qua res humanæ cœco impetu rotarentur: ſed fortunæ ac caſus nuncupatione, cauſſæ intelliguntur per accidens efficientes, ex quibus oritur quidam, præter intentionem, inopinatus effectus: hoc utriuſque diſcrimine, quòd caſus latiùs patet quàm fortuna: quia de humanis tantùm negotiis fortuna propriè dicitur; caſus verò de aliis quibuſcunque ſine conſilio agentibus. Quocirca nullum fortuna, aut caſus locum quoad Deum habent, qui omnia ab æterno præſcivit, atque admirabili providentia ad ſuos fines fortiſſimè ſimul & ſuaviſſimè diſponit. Atque illud revera eſt fatum: non inevitabilis ſcilicet aſtrorum impreſſio, qua humana ligaretur, dempta libertate, volũtas; ſed immobilis rerum mobilium diſpoſitio, per quam Providentia ſuis quęque ordinibus nectit.

LVI. Porrò à ſuprà enumeratis principiis profluit naturalis motus, qui definitur actus ejus, quod eſt mobile, quatenus eſt mobile; atque à termino, ad quem tendit, habet quòd conveniat cum alio, aut ab alio tàm quoad genus, quàm quoad ſpeciem, diſtinguatur.

Eſt

Digitized by Google

Eſt enim unus genere, qui unum idemq; genus pro termino ſuo reſpicit; ſicut & unus ſpecie, qui ad eandem ſpecie formam tendit. Quū igitur motus ad tres tantùm Categorias eſſe poſſit, nempe ad quantitatem, qualitatem, & ubi ſive locum, quibus omnibus, ad verum motus terminum neceſſariȩ,conditiones conveniunt: tria quoque genera motus recenſentur, ſub quibus & aliæ comprehenduntur ſpecies. Nam motus ad quantitatem ſubdividitur in accretionem & decretionē; motus ad qualitatē in alterationē, intenſionem & remiſſionē; motuum verò ad locum alius eſt rectus, alius circularis,alius mixtus.

LVII. Ut verò unus quoad individuum ſit motus,tria ſimul requiruntur,quorum unius varietate idem deſinat eſſe individuus motus, omninò eſt neceſſe: nempe unum numero mobile,unus numero terminus ad quē, & unum abſque interruptione tempus. Hinc non eſt unus numero motus lapidis ſurſum projecti, & poſteà recidentis; pilæ ad parietem alliſæ & deinde reſilietis: quia in aſcenſu & deſcenſu, vibratione & reſilitione ad diverſos terminos feruntur; atque in reflexionis puncto brevis quædam morula aut quies, ut oculis aliquando patet,illam motus continuationem interrumpit.Immò,propter oppoſitos,ad quos tendunt,terminos,ſibi motus illi contrariantur: adeoq;nequeunt ſimul eidem corpori per ſe competere:licet,ex accidente,idem corpus poſſit quoad locum motibus ſimul contrariis ferri.

Sunt

Digitized by Google

LVIII. Sunt autem motui individui comites, actio & passio, quæ reipsa sunt unus & idem actus cum motu, differuntq; solum secundùm diversas habitudines: ut una est via, quæ Thebis Athenas ducit, & quę Athenis Thebas. Etenim idem motus respectu mobilis passio, respectu moventis actio dicitur. Unde in eo recipi actionem atque inesse constat, in quo, veluti proprio subjecto, recipitur motus. Quum verò mobili insit motus, qui est ejus actus, actio quoque physica, licet ab agente, tanquam à principio, originetur; recipitur nihilominus in patiente, sicuti in subjecto accidens.

LIX. Verùm inter alios omnes motus maximè insignis est localis, quo corpora omnia ad suos quæque locos naturaliter feruntur. Est enim in iis innata quædam vis atq; impetus, qui nihil est aliud, quàm propria illorum affectio, qua ad locum naturę suę consonum determinatè nituntur: sivè ut quiescant, sive ut partes suas explicent, sivè ut amicis rebus conjungantur, atq; ab inimicis recedant. Unde ut gravia centrum petant, non est recurrendum cum Carthesio ad subtilem substantiam, qua impellantur; neque cum Petro Gassendo ad corpuscula quędam, quæ tellus emittat attrahatque ad se, gravi corpori complicata; neque cum aliis aut ad aerem ambientem, aut ad cœlum repellens, aut ad ætheream, omnia pervadentem, substantiam. Sic etiam caussa, cur progressione numerorum imparium, ut experientia

com-

Digitized by Google

compertum est, gravia magis accelerent motum, quò terræ fiunt propinquiora; non est refundenda in vim terræ magneticam, quæ sibi propiora vehementiùs trahat; neque in ejusdem terræ viciniam, qua gravitas roboretur; neque in minorem aeris interiacentis resistentiam: sed in naturalem corporis cujuslibet impetum, qui segniorem anteà motum, usque ad æqualitatem, semper auget.

LX. Ab isto quoq; insito corporibus impetu omnis oritur sympatheticus atq; antipatheticus motus, quo cognatæ sibi res mutuo fœdere associantur, atq; à contrariis fugiunt; quo magnes se ad polos dirigit, ferrũ ad se trahit, alterique magneti, servata polorum dispositione, adhæret. Ridiculum est enim Carthesii de subtilibus particulis atq; in cochleæ modum contortis, commentum. Sicut & falsum est, quod idem docet auctor, motum omnem naturalem de se, rectà tantùm lineam ferri, nec ad circularem, nisi ex accidente, vergere.

LXI. Sed & preterea pluribus corporibus vis inest elastica, qua, si à statu suo dimoveantur, sublato externo impedimento, ad pristinam redeunt partium suarum dispositionem: ut dum aer violenter compressus postea se se explicat, aut arcus per vim inflexus, amota violentia, sponte erigitur. Atque hęc quidem elastica vis non à tenuioris alterius substantiæ pondere, ut quidam putant; aut à subtili materia, poros corporis in parte concava angustiores dilatante, provenit: sed

in

in aere non alia videtur hujusce motus caussa petenda, quàm ab innata ejus affectione; in aliis verò corporibus aeri ipsi vis hęc elastica adscribenda, qui intra angustiores partis concavæ poros per violentiam compressus, dum naturalem statum recuperare nititur; ad pristinam figuram necesse est arcum flexum reducat.

LXII. Igitur, præter naturalem motum, alius est violentus, atq; ille potissimù m, quo corpora proiiciuntur. Non enim ingenito sibi impetu moventur; sed eo, quem proiiciens impresserit. Quòd si corpus durum alteri duro collidatur; resiliat, mutato itinere, oportet, non eodem perseverante, qui antea, motu, variata solùm motus ejusdem determinatione: quia & novus impetus & novus motus ab elaterio corporis aut reflexi aut reflectentis, aut utriusque simul producitur: ita tamen ut angulus incidentiæ æqualis sit angulo reflexionis.

LXIII. Plures quidem ab aliis præscribũtur motui leges. Nobis hæc interim una sufficit, finitum eum esse, quanvis in æternum perseverare possit. Unus enim Deus est in omni perfectionum genere infinitus: cetera autem omnia finita, quę in numero, pondere & mensura sunt à Deo disposita. Quia tamen nihil est unquam, cui nequeat aliquid addi, ne exhauriri divina potentia existimetur: syncategorematica quidem creaturæ convenit, sed categorematica prorsus repugnat, sive essentiæ, sive magnitudinis, sive mul-

multitudinis, five qualitatis, five quęcunque alia infinitudo.

LXIV. Ad motum pertinet locus, in quo ille exercetur. Benè illum definit Aristoteles, primam immobilemque corporis continentis superficiem; cujus hæc sunt munera: continere locatum, atque à locato, re ipsa atq; omninò differre. Quare malè Epicurus, malè Carthesius locum aut substantiam replebilem esse aut corpus existimarunt. Fieri enim nequit naturaliter, ut duo sese in eodem loco mutuò penetrent corpora. Quanvis autem, spectata Dei Omnipotentia, duo collocari corpora in eodē possint loco, quod perperam negavit Durandus: rei tamen ipsius natura nunquā patitur, ut unū in duobus locis ita reperiatur corpus, ut ab utroq; circunscribatur; & quęlibet corporis pars parti loci, totumque corpus toti loco respondeat.

LXV. Quia verò omnia in Universo loca corpore aliquo replentur; frustrà à Democrito & Leucippo, & qui eos sequuntur, recentioribus aliquid adstruitur vacui, quod non idem est ac locus, sicuti ex veteribus quidam censuere; neque id, in quo nihil est, aut in quo nullum grave est aut leve: sed locus corpore privatus. Immo à vacuo, veluti acerrimo naturalis concordię hoste, adeo abhorret refugitq, natura, ut neq; humana neq; Angelica arte ullum queat vacuum, sive, ut vocant, coacervatum, sive disseminatum alicubi induci. Non satis tamen æquè de divina videtur nobis potentia sensisse Carthesius,

qui

qui ne divinitùs quidem in rerum natura admitti posse vacuum, magnificè potius asserit quàm verè. quasi in eo quidquam inveniatur absurdi, quòd Deus de natura, quam condidit, quidquid voluerit, etiam supra naturam naturæque leges, efficiat.

LXVI. Spectat & ad motum tempus, quod Simonides sapientissimum dixit, utpote motus ejusdem, secundùm priorem & posteriorem successionem, numerus atque mensura. Tres enim vulgò faciunt durationis species; æternitatem, quę à Boetho describitur, interminabilis vitæ tota simul & perfecta possessio; ævum, quod substantiis potissimum spiritualibus convenit; & tempus, quod motus omnes corporeos numerat & metitur. Quapropter tot distingui peculiaria tempora debent, quot in singulis corporibus distinguuntur motus; quorum tamen omnium unum est commune & universale tempus: illud scilicet, quo per spatium 24. horarum primum Mobile suum peragit cursum, omnium aliorum motuum temporumque mensura. Hoc exercetur tẽpore promiscua corruptionum generationumque omnium vicissitudo, rerumque, quę incipiunt modò & modò desinunt. Attamen non omnia in eodem incipiendi desinendiq; modo conveniunt. Quę enim totum simul habent, quod ad essentiã suam pertinet; natalia in instanti intrinseco sortiuntur, quod primum esse rei appellant: at in extrinseco corrumpuntur, per primum scilicet non esse rei. Quę verò in partium

suc-

ſucceſſione conſiſtunt; in extrinſecis inſtantibus deſinant, incipiantque oportet: incipiant nempè per ultimum ſui non eſſe; & per primum ſui non eſſe deſinant.

LXVII. Tempori nanque non ſolùm partes, quibus revera conſtituitur, ſunt concedendæ; verùm etiam inſtantia, quibus partes pręteritę & futurę copulantur: quùm nihil temporis præſens habeamus, niſi nunc quod eſt indiviſibile; atq; ut Seneca ait, in puncto pendeamus fugientis temporis. Atq; hoc quod eſt conſtare partibus,parteſq; continuantibus indiviſibilibus, cōmune eſt tempori cum quolibet continuo. Neq; enim ſolis indiviſibilibus componitur continuum,ut opinatus eſt Zeno; ſed partibus ſemper in infinitum diviſibilibus:non quidem phyſicè, quia ultimum cuilibet rei Natura terminum conſtituit, quo minorem forma ſubſtantialis nō patitur; ſed mathematicè,quòd quęlibet quātumvis minima particula ex aliis conſtet.

LXVIII. Porro iſta, quam deſcripſimus, pulcherrima motuum varietate maximè excitatur homo, veluti certiſſimo Divinitatis argumento, ad agnoſcendam Supremi Motoris pręſtantiam & dignitatem. Quidquid enim movetur, neceſſe eſt ab aliquo moveatur. Quare quùm in moventibus progreſſus in infinitum admitti nequeat,ad primum tandem principium deveniamus oportet, quod cetera omnia moveat ipſum immotum. Hic eſt Deus Opt. Max. cujus intima virtute reguntur aguntурque omnia, ſo-

le-

Digitized by Google

lemni hac lege: ut inferiora in suis motibus à superioribus dependeant. Unde corpora etiam non moventur, nisi à spirituali aliqua substantia, veluti à primaria caussa, motum omnem atque impetum recipiant.

LXIX. Quapropter si ab eo quod movet, in id, quod movetur, derivatur motus; procul dubio nihil unquam in aliud aget, nisi patienti, aut supposito, aut virtute saltem diffusa, conjungatur. Hinc irrita est ac prorsus nulla actio in distans: sed siqua videantur in remota & longinqua operari; profectò non, nisi per tenuiorum quorundam spirituũ diffusionem, operantur. Sicuti de oculis vetularum fascinantium solet vulgus credere: & constans apud plerosque fama tradit de pulvere illo Sympathetico, absentis vulnera curante: cujus usus utrùm, ex pluribus aliis naturalium rerum exemplis, ab omni superstitionis labe defendi possit, judicare nostra non interest.

## EX LIBRIS DE COELO.

LXX. Itaque illud superest, ut eò, unde motus omnes elementares proficiscuntur, oculos mentis nostræ convertamus: nimirùm ad cœlum, admirabile illud orbiũ astrorumq; pulchritudine opus, in quo divina potissimùm Majestas relucet. Non est illud quidẽ pura, sine materię consortio, forma, ut hallucinatus est Averroes: est tamen purissimum maximèq; perspicuum corpus, & ve-

& veluti quinta quædam, ut eam Peripatetici vocant, simplexq; substantia, longè alterius ab elementis naturę. Neq; enim ejusdē est conditionis cœlestis & elementaris materia: quùm elementaris ad novas semper insatiabili appetitu inhiet formas; cœlestis verò sua, quam habet, penitùs expleatur. Quare si intrinseca in cœlis deest corruptionis origo; non sunt ipsi generationi aut corruptioni obnoxii: sed perpetua gaudent, senii expertes, immortalitate.

LXXI. Ridiculè igitur de cœlis sensere, qui, ne prętantissima illa corpora suis destituerentur incolis; planeticos globos telluri nostræ similes existimarunt: ubi homines ceteraq; degerent animantia. Etsi verò non sit æquè certum, quod doctissimi viri in controversiam vocarunt; sit ne vastissimum illud cœlorum spatium coloris, ut apparet, cęrulei, solidum; an verò, ad modum purissimę aurę, fluidum, per quod planetæ discurrant, ut per aerem aves, aut per aquam pisces: non ita tamen cœlorum immortalitati fluiditas illa, si concedatur, officit; ut nequeat utraq; immortalitatis fluiditatisq; dos simul conciliari. Fluidos enim esse cœlos maxima ex parte astronomi recentiores volunt, qui Peripateticis hac de caussa, tanquam manifesti erroris convictis, insultare vehementer solent. Horum nihilominus non sunt ita clara & certa pro cœlorum fluore argumenta, ut improbandum nobis videri debeat, quod Aristoteles & Ptolemæus tradunt, solidos

esse,

esse, ad instar nitidissimi adamantis, coelos.

LXXII. Verùm non idcircò eò dignitatis evehere cœlum possumus, ut animam ei tribuamus, ut post plurimos antiquos fecit Thomas Campanella: aut existimemus, posse unquam per cœlestem influxum humanam cogi voluntatem. Equidem validissimo in hæc omnia sublunaria impetu influunt cęli; variosq; in humanis corporibus excitant appetendi motus atq; affectiones, quibus volũtatem alliciant humanam: non ita tamen, ut aliquam ipsa patiatur innatę in actiones suas potestatis læsionem; nequeatq; si velit, per sapientiam astris dominari. Unde luce clariùs constat, quàm futili nitatur tubicine ea Astrologię pars, quę Judiciaria dicitur: quòd ex Syderum inspectione velit, superstitiosis deliramentis, de cujuslibet hominis fato moribusque judicium ferre.

LXXIII. Nihilominus ut hanc suam in elementaria virtutem exerant cœli, debent ab Angelis moveri: ut sicuti inferiora corpora vim agendi à Superioribus habent; ita superiora ab intelligentiis: quarum proinde subtracto motu, omnes cœlestium corporum vires languescerent. Earum profectò virium pręcipua lux est, quæ in Sole, tanquam in propria sibi sede, omnium oculos ad sui excitat admirationem. Nam & planetę splendorem, quo se nobis spectandos exhibent, à Sole emendicant, nostrisq; oculis reflectunt: quanvis non ipsi suo, licet exiguo, destituantur. Sicuti & propria fulgēt luce, quę in Firma-

Digitized by Google

mamento fixæ vividiùs ſcintillant Stellæ. Hinc Lunæ incrementum decrementumque provenit: quia quùm quoad mediã globi totius partem illuminetur; non ſemper tamen ſecundùm eam, quę à Sole aſpicitur, faciem nobis obverſa eſt: ſed poſtquam in conjunctione fuerit quoad ſuperiorem nobiſq; adverſam partem,tota illuſtrata,obſcuro prorſùs inferiori hemiſphęrio; incipit ad noſtros oculos paullatim deflectere, portionemque aliquã illuſtrati hemiſphęrii exhibere. Sicq; ſemicirculus apparet,qui magis magiſq; creſcit: donec tandem in plenilunio totam ſuã, qua ſplendeſcit, rotunditatem repręſentet.

**LXXIV.** Quòd ſi tàm exactè Soli conjungatur Luna, ut media inter Solem & terram occurrat; tunc Solis ejuſdem eclipſin efficit ei terrę parti,ad quam umbrę Lunãris conus perveniat. Patitur verò ipſa ſuum,ſi ita Soli opponatur,ut inter unum alterumq; planetã media interjaceat terra, cujus longiſſimè, in modum pyramidis, protenſa umbra eripiat nobis occurrentẽ Lunam. Quapropter tunc ſolùm contingit eclipſis, Lunę quidẽ in plenilunio; Solis verò in novilunio: cum Luna directè ſupponitur lineæ Zodiaci Eclipticæ, quam Sol habet certiſſimam itineris ſui regulam. Nec verò fieri unquam poteſt,ut Sol in plenilunio, aut in novilunio Luna,defectum patiantur: adeòq; ſummo naturæ totius miraculo,factum eſt olim, ut,deficiente Naturę auctore, perinde ac defectura eſſet Natura; dum decimum & quartum diem plena Luna numerabat, Sol obſcuraretur. Quan-

LXXV. Quantum verò ad cœlorum numerum spectat: Ecclesiastica Doctrina unum in primis immobile statuit, æternam Beatorum Spirituum sedem, quod ab igneo splendore Empyreum dicitur. Sed prȩterea decem, aut novem ad minus cœlos mobiles admittendos esse, ex motuum cœlestium diversitate ratio naturalis rectè deducit: nempe primum mobile, quod spatio quatuor & viginti horarum ab ortu ad occasum cursum suum absolvit; trahitq; secum cœlos inferiores: cœlum aplanes, regio Syderum apparatu ornatissimum, quod peculiari, proprioque motu tàm lentè progreditur, ut, ex Ptolemȩi calculo, triginta sex annorum millia ad circulationem ejus perficiendã requirantur: & septem planetarios cœlos, Saturni, Jovis, Martis, Solis, Veneris, Mercurii, Lunȩ. Quibus alii decimum addunt ob trepidationis motum, quo nunc ad Austrum, nunc ad Septentrionem Sydera cientur.

LXXVI. Porrò Sydera, nobilissimȩ cœli partes, nihil sunt aliud, quàm corpora quȩdã sphȩrica, densiora atq; opaca, ejusdem cum cœlis naturȩ, quȩ & in fixa & in errantia dividuntur. Fixa suum in Firmamento situm atq; ordinem semper cõstantissimè retinent: quorum eò porrigitur multitudo, ut humanam omnem subterfugiat computationem. Undè immeritò Guillelmus Du-Vallius Aristotelem erroris reprehenderit, quòd Stellas innumerabiles dixerit. Enim verò innumerabiles eas esse, Sacrarnm Litterarum testimo-

Digitized by Google

monio,& telescopiorum experimento,res est exploratissima: quanvis insigniorum, quæ nudo oculo apparent, definita sit multitudo. Nam ab Astronomis non nisi mille & viginti duæ numerantur: quarū,quùm sit inæqualis magnitudo, sex distinguuntur classes: ita ut maximæ, ex conjectantis animi æstimatione, terrestrē molem centū & septem vicibus superent; minimæ verò octodecim vicibus; ut inde jure queat colligi enormis Firmamenti magnitudo, cujus in centro Terra, veluti punctum, ab Astronomis reputatur; quanquàm Terræ ambitus, ex Gassendi supputatione, sit Italicorum milliarium 26255.

LXXVII. Distribuuntur pręterea in octo & quadraginta asterismos, in quibus duodecimZodiaci Signa,annuo Solis cursu celebratissima: quùm tamen non nisi septem errantia astra, sive planetę recenseantur, quorum peculiaris & proprius est supra polos Zodiaci motus. Etenim cujusque Planetæ cœlum, ex Ptolemaicorum sententia, in tres præcipuas distinguitur Sphæras, quarum infima sit terræ, secundum partem concavam, concentrica, & excentrica secundùm convexam; suprema verò cōcentrica sit ex parte convexa, & excentrica secundùm concavam: atq; inter istas duas gibbosas Sphæras media intericiatur æquabilis, omni ex parte terræ excentrica, qua deferatur planeta,qui apogæus esse dicitur, cùm maximè à nobis distat; perigęus verò,cùm ad terram sit propior. Inest etiam eidem mediæ Sphæræ epicyclus, quo

omnes alii, excepto Sole, planetæ circunvolvuntur; & ex cujus diverso motu iidem modò veloces, modò stationarii, modò videntur retrogradi.

LXXVIII. Atq; inter eos planetas remotissimus omnium Saturnus, coloris, ut apparet, pallescentis, annulo, veluti diademate, ornatus, ex Astronomicà conjectura, terram una & nonaginta vicibus excedit. Plumbo dominatur, præestq; melancholicis, tristis, malignus, funestusq; planeta. Sequitur Jupiter, Mediceis quatuor Satellitibus stipatus, quos primus detexit Galilæus. Color ei albicans, nigricantibus maculis adspersus; & moles tellure quinque & nonaginta vicibus major. Vitę propitius lętitięq; dator pręest sanguini; habetq; inter metalla stannum. Tertius succedit Mars, truculentus planeta, rubentisq; vultus, qui bili pręest; atque ex metallis chalybi. Terrestri globo aliquantò vastior ejus magnitudo.

LXXIX. Quarto numeratur loco, cui debebatur primus, princeps planetarum Sol, tellure major centum & sexaginta sex vicibus. Tribuitur ei aurum & quidquid est pulchritudinis. Bili præest per sanguinem temperatæ. Huic adduntur intra Solaris Coeli crassitudinem Venus & Mercurius, qui circa Solem, veluti centrum, circumvolvuntur. Malè enim ab antiquis Ptolemaicis hi duo planetæ Sphęris Sole inferioribus affixi. Venus faciei albicantis, vitæ propitia, habet inter metalla cuprum; pręestq; phle-

gma-

gmati per ſanguinem temperato. Tribus & ſeptuaginta vicibus minor eſt terreſtri mole. At verò humori melancholico per ſanguinē temperato prçeſt Mercurius, argenti vivi dominus, quem terra ducentis & novemdecim vicibus excedit. Deniq; ultima omniū vicinaq; nobis Luna, cui argentum correſpondet, inſtabilis, molliſq; Planeta, & tellure novem & triginta vicibus minor; phlegmaticis atq; humidis prçeſt: cujus maculoſus variuſq; adſpectus melius à Peripateticis explicatur, quā ab iis, qui maria, ſylvas, valles, monteſque in cçleſti illo globo admittere non verentur.

LXXX. Illa autem prçfixa lex eſt proprio cujuſlibet planetç motui: ut Saturnus ad curſum ſuum peragendum triginta ferè annos inſumat; Jupiter duodecim; Mars duos; Sol, Venus & Mercurius unum annum; Luna unum menſem. Etsì verò perenni ſemper motu Sphçrç omnes cœleſtes atque aſtra rapiantur: non eſt tamen nobis exiſtimandum, concentū ab iis ſuaviſſimum edi, qui propter audiendi conſuetudinem non percipiatur. Sicuti per metaphoram videtur olim docere voluiſſe Pythagoras. Si quidem, exactiſſima illa diſpoſitione, certiſſimum præbent Divinæ Sapientiæ teſtimonium, quod homines aſſueti non ſatis pro merito animadvertant.

## EX LIBRIS DE GENERATIONE ET CORRUPTIONE.

LXXXI. NEc mirum alicui videri debet, tantam eſſe cæleſtium motuū varietatem: quia quùm omnis ſublunarium ge-



Digitized by Google

gererationum corruptionumq; ſeries à cęlorum influxu dependeat; deſtitueretur terreſtris globus pulcherrima rerum modò naſcẽtium modòq; pereuntiũ viciſſitudine, ſi unus uniformiſque eſſet cælorum motus. Immò tantum Plato olim tribuit cælo in hæc elementaria imperium, ut, revoluto magno anno, redeunteque eodem Syderum adſpectu, exiſtimaverit quoque eoſdem redituros, qui fuere & erunt, individuos effectus. At falsò: quia neq; infinita Dei potentia tàm latè patet, ut tempus elapſum, aliaque, quæ in partium ſucceſſione conſiſtunt, eadem numero reſtituat. permanentia verò naturalitèr redire nequeunt, niſi divinitùs reproducantur.

LXXXII. Fieri enim nequit, ut eadem numero generatio redeat, quæ pro termino ad quem illud habet, quod reſpicit corruptio veluti terminũ à quo: quùm generatio unius ſit alterius corruptio. Unde quia per generationem ſuppoſitum producitur, tanquam adęquatus eius terminus; ſuppoſitum quoq; per corruptionem neceſſe eſt interire: atque ita interire, ut nihil eorum, quæ veteri inhærebant ſubſtantię, poſteà ſuperſit; ſed cum forma ſubſtantiali figura, color, lineamenta, ceteraque omnia ad unum deſinant accidentia, ut allata ſatis innuit ab Ariſtotele generationis definitio: ut ſcilicet totius ſit mutatio, nullo ſenſibili ſubjecto eodem permanente. Itaq; nuda materia, generationis virtute, recipit novam formam ſubſtantialem, ingreſſum pręparantibus diſponentibuſq; ac-

ci-

Digitized by Google

cidentibus quibusdam tùm prçviis tùm concomitantibus. Nam & concomitantes dispositiones, quanvis à forma profluant; ipsam tamen in genere caussç materialis prçcedunt.

LXXXIII. At prævïæ dispositiones deserviunt alterationi, quæ inimicarum qualitatum productione, substantiam ad corruptionem præparat; ipsamq; pro termino generationem habet. Quapropter non ea est, veluti actio à generatione distincta, concipienda. Siquidem duæ sunt unius ejusdemq; actionis mutationes, quæ postquam primùm hostilem aliquam qualitatem in substantia corrumpenda introduxerit;continuatur usq; ad vehementem illum qualitatis gradum,qui cum necessariò connexa est forma nova substantialis: itaut sub primo munere,alteratio; sub alio dicatur generatio. Neq; tamen resultare existimanda est forma substantialis: quia, licet alterationis,ut accidens est, effectus sit aliud accidens; nihilominus eadem alteratio,quatenùs in substantię virtute agit, non per se; respicit actionis suæ terminum substantiam. Malè etiam de alteratione sentiunt, qui eam per quandam particularum agitationem explicant, aut per corpusculorũ effluxum de una in aliam substantiam:quùm reverà sit alteratio,disponentis ad corruptionem qualitatis productio. Dùm autem qualitas illa intenditur; non uni parti pars alia additur, quomodo augetur quantitas; nec veteri destructæ nova subrogatur: sed novũ acquirit eadem qualitas perfectionis modum:

quatenùs majores in subjectum agit radices, dominatumque maiori vi suum exercet.

LXXXIV. Quòd si plura sese mutuò alterant, ut in unam coalescant naturam; misceantur, oportet. est enim mixtio, mixtilium alteratorum unio. Ea, si sit perfecta, non sinit elementorum, quæ miscentur, formas incolumes in mixto remanere, aut temperatione quadam conjungi, ut Empedocles explicat: sed prorsùs facit, ut forma mediæ inter elementa naturæ, refractis eorum hyperochis, producatur. Quod ut fiat; debent quæ miscentur, communem materiam habere, in se agere, atq; à se mutuò pati, promiscuo quodam contrariarum qualitatum conflictu. Illa nanq; est cujuslibet Physici Agentis natura, ut agendo à patiente repatiatur: dummodò utrumque, sicuti agendi vi pollet; ita materia constet ejusdẽ rationis, sitq; alterius qualitatum capax; ac demùm magis agat Agens, quàm passum resistat. Quùm autem ista conditionum series locum in duobus similibus non habeat; fieri nunquam potest, ut ex his unum in aliud, quatenùs simile est, virtutem agendi suam exerceat. quemadmodum voluit Democritus.

LXXXV. Huc fermẽtatio reducitur, quam describunt Chymici, mixtilium mutua simul actione ac reactione effervescentium, ut in novum coeant statum, intestinũ conflictum. Hanc autem tanto animorum ardore turbam excitant spiritus, qui ex solidioribus partibus, per virtutem acidam dissolutis, erumpẽtes,



Digitized by Google

tes, iterùm gestiunt crassiori substantiæ perfectiùs uniri: donec, elaboratiori commixtione, unica inde massa consurgat. Multum etiam ad novam productionem mixti confert condensatio & rarefactio: quarum prima ponitur multum materiæ sub minoribus dimensionibus; altera verò parum materiæ sub amplioribus dimensionibus. Neq; enim, quod rarescit, novas adipiscitur quantitatis partes; aut minuitur, adeptis, quod condensatur. Neque etiam fit rarefactio per pororum vacuorũ dilatationem, ut senserunt Epicurei; aut per eorumdem compressionem condensatio.

LXXXVI. Deniq; resolvuntur mixta in elementa, ex quibus constant: scilicet in terram, aquam, aerem atque ignem. Nàm quatuor hæc esse tantùm elementa, manifestè probat quadruplex associatio primarum qualitatum tactilium, per quas constituuntur ac differunt inter se, aguntq; & patiuntur elementa: nempe caloris & frigoris, humiditatis & siccitatis. Etenim in terra, ut ab infimo incipiamus elemento, legitimo uniuntur fœdere summa frigiditas & non summa siccitas; summa humiditas & non summa frigiditas in aqua; in aere humiditas non summa & mediocris calor; ac demùm summus calor, ac siccitas in igne. Hæ sunt quidem cuilibet elementorum propriæ atque à natura insitæ dotes: quanvis nihil fortasse sit difficiliùs, quàm purum sincerumque apud nos elementum invenire. Sed prætereà illas,

veluti qualitatum principes, aliȩ consequuntur secundariæ: atque in primis densitas & raritas, quarum una ex frigore, altera ex calore oritur; deinde gravitas & levitas; durities & mollities; viscositas atq; ariditas; asperitas & lȩvitas; crassitudo ac tenuitas.

LXXXVII. Non est autem calor lux ipsa, ut quidam volunt: sed distincta quȩdam qualitas, qua congregantur homogenea, sicuti frigore heterogenea. Ea verò est humiditas, per quam aliqua non propriis, sed alienis terminis continentur: quum siccitas contrà faciat, ut proprio termino facillimè, alieno difficillimè aliquid definiatur. Itaq; quùm adeò sibi hujusmodi qualitates contrarientur: mirari nemo debet, quòd, mutuo illarum intestinoq; dissidio, possit elementorum unum in aliud vicissitudine reciproca transmutari: non eadem tamen omnia facilitate. Nam quȩ symbolum habent, faciliùs convertuntur; difficiliùs tardioriq; migratione asymbolica.

## EX LIBRIS METEORORUM.

LXXXVIII. ATquia plura etiam elemẽta in unam quandam alteratam naturam concurrunt, transfusis mutuò qualitatibus: idcircò explicanda opportunè venit Meteorologia: idest eorum, quæ, mixtis elementis, magna ex parte in sublimi fiunt, Scientia. Hujusmodi sunt cometȩ, Iris, fulgura, aliaq; hujusce generis plura. Nàm malè ab Aristotele (si nobis, alicubi veritate con-

Digitized by Google

convictis, licet à tanti viri doctrina discedere) inter meteora connumeratur lacteus, qui medium cęlum per Sagittarium & Geminos secat, circulus. Non est enim, ut ipse censuit, exhalationum in summo elementari orbe congeries, qua lumen astrorum refringatur: sed pars Firmamenti densior, variis interspersa Stellulis, quibus nihil est ad referendū albicantem illum colorem commodius.

LXXXIX. Propriè verò meteora censentur, quibus materiam subministrat exhalatio aut vapor, hic ex aqua calidus humidus; illa ex terris calida & sicca, quæ utpote levior ad summam sæpè vi Solis attollitur aeris regionem. Inde, pro varia materiæ, quæ ad ignem concipiendum est vel levissimo calore paratissima, dispositione, variæ gignuntur meteoricæ, excitatis igneis Spiritibus, flammæ. Hinc enim vagæ in supremo aere Stellæ, quæ argenteo candore veras Stellas imitantur; atq; nocte serena sæpiùs, rarò interdiù, celerrimè decurrentes apparent. Hinc in medio aere Dracones, stipulæ ardentes, capræ, torres, lanceæ, columnæ, aliaq; diversas imitantia figuras. Hinc deniq; in eo, quo vivimus, aere ignes illi fatui, qui in cœmeteriis & paludibus ignaros sępè deterrent, insequendo fugientes, fugiendoq; insequentes: ignes quoq; lambentes; iiq; quos sedandæ mox tempestatis nuncios nautæ S. Telmi aut Elmi appellant, non à B. Petro Gonsalez; sed à S. Erasmo, ut optimè conicit, vir de Ecclesiasticis monumentis egregiè meritus, Daniel Papebrochius.

XC. Accedit Cometa, nobilissimum in suprema aeris regione meteorum, ex ignea exhalatione crassa compactaq; ut non facilè absumatur: ad cujus pabulū continuò è terris nova exhalatio adscendit, quas proindè sterilescere oportet. Undè non una è stellis errantibus existimandus est Cometes, qui post longum tempus à Sole, quo occultatur, digressus se nobis conspiciendum præbeat, sicuti olim ex Italia Pythagorici cum Hippocrate & Æschylo existimarunt: neq; Stellarum errantium coapparitio sese mutuò, ut nobis apparet, tangentium, ut Anaxagoras & Democritus voluere. Est autem varius, pro exhalationis diversitatę, Cometis color variaque figura: quorum alii crinibus, alii barba, alii cauda ornantur. Sicuti non una est phasmatum etiam, quæ parùm durant, facies: ut colorum sanguineorum, quos lumen exhalatione refractum gignit; & hiatuum, sive voraginum, quæ in medio, partibus duntaxat ambientibus illustratis, repræsentantur.

XCI. A vapore quoq; plura fiunt meteora: ut pluvia, quæ vapor est frigore densatus in media aeris regione, atq; in aquæ deindè guttas solutus, quę cum minutatim decidunt, stillæ; cum majori copia pluvia dicitur. Qui verò ex aere in aquam mutari solet, densior vapor, nubes nuncupatur. Sic nebula est, nubis in aquam concretæ superfluitas, quæ, utpote infœcunda nubes & semine destituta, serenos potiùs dies, quàm pluvios portendit.

Sic

Digitized by Google

Sic ros & pruina nihil ſunt aliud, quàm tenuis quidam vapor exiguo calore non longè à terra elevatus; & poſteà, ſerena nocte atq; à ventis ſilente, concepto frigore, coagulatus, prolapſuſq; ad terras: hac utriuſq; differentia, quòd ros eſt, in tenuiſſimas ſtillarũ guttas reſolutus vapor; pruina verò, vapor, antequàm ſolveretur in aquam, congelatus. Sæpè autem rori admiſcentur tenuiores è floribus, herbis, foliiſque ſpiritus. Unde manna & mel.

XCII. Item nix, quam aquarum cœleſtiũ ſpumam appellat elegantèr Plinius, temporis vel regionis frigidæ indicium, eſt nubes, antequam in pluviam reſolveretur, congelata. Glacies verò, aqua eſt frigore indurata: quæ quò magis calida, eò faciliùs gelu duritiemq; contrahit. Atq; is certè eſt antiperiſtaſis effectus: cui etiam debetur grando, vere, æſtate atq; autumno frequentior, hyeme rariſſima, & non niſi cum frigus de ſua aliquid remiſerit vehementia. Nam calidiori tempeſtate pluviarum guttæ, dum è frigida aeris regione in infimam, ex ſolarium radiorum reflexione calidiorem, repentè deſcendunt; mutua externi caloris interniq; frigoris pugna, vim ſuam omnem frigore exerente, in grandineos globos neceſſe eſt, concreſcant, celerem congelationem nitroſis ſalſiſque halitibus adjuvantibus.

XCIII. Itaq; quùm tanta aquarum copia terras uberrimè fœcundet; pleriq; exiſtimarunt, oriri indè fluvios & fontes, quòd plu-

vialis aqua, argillosis excepta terræ receptaculis, per varios feratur, qua via patet, meatus; donec tandèm, suo emenso itinere, novo sæpè aquarum additamento, in fontem prorumpat: sive etiam quòd vapor, intra abditissimas montium cavernas terrestri frigore in stillas condensatus, in unam simul, aut aliqnando plures, coeat scaturigines. Unde maxima è maximis montibus flumina. Verùm istæ duæ caussæ omnium universim fluminum, quorum aliqua statim à primo fonte, immenso gurgite, perenniter decurrunt, origini non satis esse videntur, nisi ad mare, quod per terræ veluti venas, aquas suas latissimè spargit, recurramus: ut indè exeant, quò, innato impetu, tendunt flumina.

XCIV. Hinc ad quosdã etiam fontes æstus derivatur, quo fluit refluitq; statis temporibus, mare. Porrò reciprocus ille, qui tantam mari celebritatem fecit, motus non satis adhuc potuit ab humani ingenii imbecillitate intelligi: comminiscente Socrate, à Tartaro eum originari absorbente continuò evomenteque, quas absorbuerat, aquas. Nihilominùs maximè nobis ea arridet opinio, quæ Lunam facit marini illiusce æstus originem: quùm exactè in omnibus Lunæ cursum, incrementum decrementumque æmuletur. Insunt & aquis plures affectiones, quas à locis, per quos transeunt, fodinisq; contrahunt: sed inter eas omnes, maximè commendabilis est marinarum aquarum salsedo, cui Aristoteles caussam assignat, siccam atq; adustam è terra exha-

exhalationẽ. Undè etiam marina aqua crassior graviorq; evadit; sed dulcescit posteà, salsa illa per longiores terrarũ anfractus deposita crassitudine. Sicuti eadem de caussa vapores è mari in aquas dulces resolvuntur.

XCV. At pluviȩ sæpè à vento impediuntur, quem veteres quidam aerem commotum & fluitantẽ dixere: ita ut hoc interesset inter aera & ventum, quod inter lacum & fluvium. Melius tamen nos calidam, siccamq; atq; è terris virtute Syderum extractam, exhalationem esse censemus, quæ in altum sublata, frigidisq; mediæ regionis limitibus in obliquum retroacta, quò majori repellitur impetu, eò concitatiores edit per terras atq; maria tumultus. Immò, si vehemens ille exhalationum rarefactarum spiritus terræ visceribus violenter includatur; carceris impatiens, dùm sibi exitum, quælibet obstantia impellendo, quærit; irruptione facta, tam ferocitèr desævit, ut terra ipsa concutiatur, tremat atque mutet. Undẽ magni illi, cum horrendo terræ mugitu, hiatus, quibus, absorptarum urbium loco, flumina sæpè & lacus eruperunt. Non fit enim terrȩ motus ab æthere, ex altero terræ hemisphẹrio ad nostrum adscendente, ut parùm consideratè censuit Anaxagoras; neq; ab aquarum intra terræ sinus exuberantia, juxta Democriti opinionem, neq; à madore, aut siccitate terræ, ut credidit Anaximenes. Sed terrȩ motibus aliquãdo caussam prȩbent subterranea, ex bituminis sulphurisq; pabulo, incendia:

dùm

dùm ſcilicèt ignis, intra carceres compreſſus, non ſecùs ac in cuniculis contingit; ut in libertatem exeat, tanto terrę viſcera ſcindit conatu, ut violentus indè motus ad circumjacentes latè regiones diffundatur.

XCVI. Patiuntur & ſuum motum nubes, cum fumoſa exhalatio, craſſiori frigidioriq; nube involuta, atque ibi, concepto ſive per antiperiſtaſim, ſive per calorem Solis, igne, maximè rareſcens; quùm ſatis non ſint ad eam continendam clauſtra, vehementi cum impetu ac fragore, qui tonitru dicitur, nubē diſrumpit. Fulgur autem, illa eſt coruſcatio, quam exhalatio accenſa ex apertis nubibus latè ſpargit, ſine ullo ſæpè ſtrepitu, ſi nulla denſiori parte, à qua erumpat, cohibeatur. Subſequitur autem tonitruum fulguratio: licèt viſus auditum antevertat. Undè malè Anaxagoras cauſſam tonitru atq; fulguris facit ignem, è ſublimi in nubē delapſum: ita ut hujuſce ignis ſplendor fulgetrum dicatur; ſonitus verò atq; ſtridor, quem edit, cum intra nubes extinguitur, tonitru. At ſi plurimus denſiorq; flatus, dum adſcenſum ad ſuperiora molitur, nubium colliſione præceps relabitur; eam gignit procellam, quàm Gręci Ecnephiam vocant. Hunc autem procelloſū turbinem contingit aliquandò ita è nube excerni, ut, alia occurrente nube, repercutiatur; atq; ita in varios circulos vortice contortus certiſſimam afferat navigantibus perniciem. Typhon hic dicitur. Præter verò, qui ſulphure ac nitro fœtus, obvia quęq; comburit, accenſus partiū colliſione turbo. Quòd

XCVII. Quòd si fortiores compactioresq; fuerint, diuturniorisq; ignis capaces, exhalationis intra nubē accensæ partes; fit fulmen, latiùs territurum, quam nociturnm: cujus non una est species, neq; unus effectus. Aliud est enim, quòd arges dicitur; motusq; celeritate, sine ulla intimè penetrat adustione: aliud verò tardius, quod psoloen quasi fumidum vocant, inficit inquinatq; quę penetrat, omnia. Aliquandò etiam lapide, veluti tormentario globo, armatur, quo irreparabile affert obviis quibuscunq;, & editioribus pręcipuè locis, exitium. Ad miraculum sanè videntur accedere, quæ de fulminibus referri solent.

XCVIII. At alia in sola apparentia consistunt meteora, ut area, Iris, parelia & virgæ: quorum omnium una est caussa, lucis scilicet reflexio, quanvis non unus sit reflexionis istiusce modus. Nàm area, sive corona, Gręcis halon, gignitur ex ęqua radiorum ad omnes nubis æquabilis, Soliq; aut Lunę aut splendidiori alicui astro suppositæ, oras diffusione: & si consistat, pluviam; si dissipetur, flatum: si evanescat, serenitatem indicat. Iris verò, certum divini cum hominibus fœderis argumentum, pulchraq; colorum varietate admirabilis, è quibus tres præcipui, puniceus, viridis & purpureus; è regione, soli per diametrum adversa, producitur: dum in nube rorida, partium opacarum repercussione, radii ad æqualem in modum circuli distantiam obliquè reflectuntur, ita ut semicir-

culo

Digitized by Google

culo sæpè quidem minor; nunquam tamen major Iris appareat: quia infra Horizontem pars deprimitur altera. Eadem quoque solaris lucis reflexione fiunt parelia: cum in nube, quam ab externa parte perspicuam opaca quędam à tergo densitas obscurat, Sol, veluti in lucidissimo speculo, suam repræsentat imaginem. Fiunt & virgæ, si inęquali nube, hic densa, alibi rara, variisque per lucis obumbrationem imbuta coloribus, per ejus quædam, veluti foramina, ad terram radii in virgarum similitudinem porrigantur.

XCIX. Hìc addi potest, quod non omittit Aristoteles, nòn solum illa, quæ meteora dicuntur imperfectè mixta; verùm etiam perfectè mixta, quę in fossilia & metallica veluti classes dividuntur, ab eadem esse caussa, vapore scilicèt atque exalatione. Et fossilibus quidem materiam potissimùm subministrat exhalatio. Unde fit, ut ea, quibus paucissima est vaporis copia, minimè liquari possint. Cujusmodi sunt varia lapidum genera, quos humana avaritia in vulgares & pretiosos distinxit. Sunt & plura alia, quæ enumerari vix possent, fossilia: ut sandaraca, ochra, minium, sulphur, sal, alumen, carbo terrestris, bitumen, ceteraque ejusdem generis. Vitrum autem atque antimonium, mediæ cujusdam sunt, inter lapides & metalla, naturæ. At metalla è vapore præcipuè concrescunt, à quo habent, ut duci possint & liquescere, si ad frigus, quo eorum humor constrictus est & congelatus, expel-

lendum vehemens admoveatur ignis. Hæc autem vulgò enumerantur metalla: aurum, argentum, ſtannum, plumbum, ferrum ſive chalybs, & æs. Mercurius enim, apta, ſi quis ſciat experiri, ad aurum conficiendum materia, rudimentum potiùs metallorum eſt quàm metallum.

## EX LIBRO DE MUNDO AD ALEXANDRUM.

C. JAm verò cum Ariſtotele, cui librum de Mundo adſcribit Juſtinus Philoſophus, à partibus ad totum univerſim Mundum contemplandum accedimus. Definitur Mundus, compages è cœlo terraq; coagmentata, atque ex iis naturis, quæ intra ea continentur: ſive, ordo & digeſtio univerſorum, quæ à Deo & per Deum aſſervatur. Unde perfectum eum eſſe conſtat, omnibuſque numeris per Divinum artificem abſolutum. Et licet unicus ſit à Deo finitæque magnitudinis conditus Mundus: quia tamen non per hanc creationem exhauſta eſt infinita Dei potentia; malè olim ſummaque Dei injuria negavit Ariſtoteles plures eſſe poſſe aut potuiſſe Mundos. Malè etiam æternam Mundo ætatem idem Ariſtoteles attribuit, cujus pro motus æternitate rationes perperam exiſtimant aliqui, non poſſe humanis & phyſicis reſponſionibus diſſolvi.

CI. Verùm enim verò, quanquàm, generali Dei concurſu, poſſet hic Mundus eo, quo

quo nunc ſe habet, modo, cum promiſcua generationum corruptionumque varietate, æternùm perſeverare; ſitque revera, ut cenſuit etiam Plato, quoad cœlos, elementa, atque homines, ſublato quocunque cœlorum atque elementorum motu, perſeveraturus: nihilominus in tempore natalia ſua habuit, ſive autumno, ſive, ut probabiliùs alii arbitrantur, vere, ſex integros naturaleſq; dies, juxtà Moſaicam hiſtoriam, in ejus productionem Deo diſtribuente. Non enim hac in parte S. Auguſtino, dies illos ad allegoriam trahenti, adhæremus: cujus tamen ſententia iis nititur rationum adminiculis, ut repreheñſione digni uobis videantur, qui hæreſis notam ei inurere non ſunt veriti. Immò tantùm abeſt, ut Mundus, juxta Ariſtotelis opinionem, per totam retrò æternitatem extiterit, ut ne divinitùs quidem potuerit ullus eſſe ab æterno motus: etſi nulla queat ratio demonſtrare, non potuiſſe ſempiternas eſſe, ſine ulloque temporis initio, permanentes naturas. Circa chronologicam verò Mundi uſq; ad Chriſtum natum ætatem, etſi aliter alii ſentiant: nos tamen hebraicę veritatis computationem, quàm ſeptuaginta Interpretum, ſequi malumus. Si quidem certiſſima eſt S. Auguſtini regula libro 15. de Civitate Dei capit. 13. quòd quùm diverſum aliquid in utriſq; codicibus invenitur; quandoquidem ad fidem rerum geſtarum utrunque eſſe non poteſt verum; ei linguę potiùs credatur, undè eſt in aliam per Interpretes facta tranſlatio. Equi-

Digitized by Google

CII. Equidem plura à pluribus excogitata circumferuntur Mundi Systemata: quibus omnibus Ptolemaicum longè anteponimus: dummodò tamen Veneris & Mercurii, qui circumeunt Solem, corrigatur situs. Sed prę omnibus non immeritò reprobamus, quod post Philolaum & Aristarchum Samium renovavit Nicolaus Copernicus, Systema: ita ut mediam totius Mundi sedem immobilis occupet Sol, & circà illum, veluti centrum, cum omnibus planetis terra ipsa circumvolvatur. Enim verò, si sacras Litteras & rationem audimus, terra immota stabilisq; in centro quiescit, propriaque consistit gravitate, figuræ sphęricæ, quàm Cosmographi rectè in quinque distribuere Zonas: unam torridam, duas temperatas, duasque frigidissimas, omnes prorsùs habitabiles: ut contrà Aristotelem aliosque antiquos, docuit magistra veritatis experientia.

CIII. Itaque hic est elementorum situs, ut infimum omnium locum occupet terra, quæ non tota nobis adhuc innotuit. Nota verò in quatuor maximas dividitur portiones, Europam, Asiam, Africam, & veteribus olim ignotam, cui Americus Vespucius Florentinus appellationē indidit, Americam. Eminet aqua, cui majorem terra ipsa molem tribuit S. Thomas: si nempè omnes spectentur aquæ, tùm quæ in Oceano aliisq; ab eo diffusis maribus continentur, tùm ceterę omnes, pluviatiles, lacustres, palustres, fluviatiles, terrisque imbibitæ. Atque hæc quidem ele-

menta duo naturalem gravitatem habent, quæ à circumferentia trahuntur ad centrum; duo verò alia, utpote ſuopte ingenio levia, à centro ad circumferentiam tendunt: nempè, aer in tres diviſus regiones, ſupremam ſemper calidam; mediam ſemper frigidam; atque infimam, alternæ frigoris caloriſque mutationi obnoxiam: & denique omnium elementorum ſupremus, Lunari cœlo contiguus, totumque undique ambiens elementarem orbem, ignis: cujus tamen ibidem ſedem plerique inficiantur.

CIV. Sed prætereà, ut cęleſtes motus meliùs perciperentur, excogitata eſt ab Aſtronomis armillaris quędam Sphęra, quæ totius Mundialis machinæ motum variis circulis repræſentat atque imitatur; & ſuprà duos polos ſeù cardines, Arcticum atq; Antarcticum, circumagitur. Igitur decem ferè in ea circulos diſtinxere: quatuor minores, nempè Tropicum Cancri, Tropicum Capricorni, Circulos Arcticum atq; Antarcticum; & ſex maximos, qui Sphæram in æquales partes dividunt, nempè Horizontem, Meridianum, Æquatorem, Zodiacum, Coluros, Æquinoctiorum & Solſtitiorum. E' quibus omnibus maximè inſignis eſt Zodiacus, planetarum via, latitudine duodecim graduum conſpicuus, Soliſque per lineam Eclipticam curſu celeberrimus. Duodecim verò in illo diſtributa ſunt Signa, quæ ſic ab Aſtronomis deſcribuntur: ♈, ♉, ♊, ♋, ♌, ♍, ♎, ♏, ♐, ♑, ♒, ♓. Porrò terræ incolis

aut

Digitized by Google

aut recta estSphæra, aut obliqua aut parallela. Parallela dicitur, si Æquator Horizontis vices gerit; & polus pro vertice sive Zenith aspicitur: ubi sex mensibus perpetua nox agitur, sex mensibus perpetua dies. Obliqua est, quæ polorum unum supra Horizontem, alium infra habet; diesq; proindè noctibus inæquales. Recta tandem Sphæra intelligitur, si poli cum Horizonte conveniant: ubi dies per totũ annũ noctibus æquantur.

## EX LIBRIS DE ANIMA.

CV. VErùm, inter corporeas omnes naturas, nobilitate longè præcellit Anima, de qua non satis pro dignitate senserunt, quicunque eam esse existimarunt, aut ignem, ut Democritus; aut aquam, ut Thales; aut aerem, ut Diogenes; aut exhalationem terream perpetuòque fluentem, ut Heraclitus; aut semen, ut Hippon; aut sanguinem, ut Critias; aut elementorum temperiem, ut Empedocles. Neque etiam anima decisa est Divinitatis particula, ut cum Epicteto censuit Seneca. Enim verò per animam nihil aliud intelligi potest, quà actus primus corporis naturalis vitam potestate habetis, quod est organicum; aut principium vegetandi, sentiendi atque intelligendi. Quarè triplex ea est, vegetativa, sensitiva & rationalis.

CVI. Vera enim est hominis humanique corporis forma anima rationalis, diversæ in diversis hominibus perfectionis: licèt spiritua-

tualis atque immortalis, quæ præstat sola, quidquid aliæ duæ præstant animæ, vegetalis & sensitiva; constituitq; per se ipsam, ut aliæ corporeæ formæ, humanum corpus. Undè frustrà in homine aliæ præter illam corporis formæ, aliæque admittuntur animæ. Immò tantùm abest, ut in homine uno plures reperiantur formæ substantiales, ut cujuslibet sive viventis sive inanimis substantię natura non, nisi unam formam, patiatur.

CVII. Non ea quidem spiritualitatis dote gaudent animalium aliorum animæ. Verum tamen dividi ac partiri, ad instar corporum, nequeunt, nisi animę sint plantarum, animantiumque quorundam imperfectiorum, quorum sectæ partes sentiunt & moventur, certo vitæ animęq; argumento. Universim autem animę quinque enumerantur facultates, quæ ab actibus objectisque suam sortiuntur speciem: nempè, vis nutriendi, sentiendi, appetendi, movendi loco, intelligendi. Est verò nutritio præcipuum facultatis vegetativę munus, per quam alimentum in aliti substantiam revera convertitur. Hæc, quę solis viventibus competit, per totum vitæ decursum perseverat; adeòque ab accretione distinguitur, cui Natura, diminuto vegetiori calore, tempus, terminumque præfixit. Quapropter, si per nutritionem nova materiæ pars deperditis substantiæ viventis partibus substituitur; malè, procul dubio, substantiæ materiali partes integrantes inter se distinctas denegant docti recentiores. Eas ta-

tamen non nisi per quantitatem habet substantia. Undè, si divinitùs quantitate omni spoliaretur; exigeret quidem quantitatem suam, qua distingueretur in partes: sed nullam tamen haberet partium suarum distinctionem.

CVIII. Verùm sicut aliis animalibus prę stat anima rationalis; ita ceteris omnibus potentiis intellectus atq; voluntas, spirituales, quas homo cum Angelis communes habet, facultates: ita tamen ut voluntate nobilior sit intellectus, tantæ altitudinis potentia, ut abstrusissimas naturas rerumque quidditates intueatur; tantæque fœcunditatis, ut, si speciebus intellectualibus ditetur; exprimat, concepto verbo, quidquid intelligit. Unde ei in ministerium ad hujusmodi species imprimendas quædam data est facultas, quam Plato Solem mentis, Peripatetici intellectum Agentem dicunt.

## EX LIBRO DE SENSU, ET SENSILI.

CIX. Deserviunt quoque intellectui sensus: quùm nihil ille in hac mortali vita cognoscat, quod isti priùs non perceperint. Sunt autem duplicis generis sensus, alii externi, interni alii: quibus omnibus, ut actiones suas percipiant, exprimantque in se objectorum suorum similitudines, necessaria est specierum sensilium impressio, quæ ab objectis iisdem oriuntur, non quasi quædam profluvia, aut spirituum commo-



Digitized by Google

motiones: sed accidentariæ formæ, vice Objectorum, à sensibus perceptæ. Porrò sensuum externorum quinque enumerantur species: Tactus, Gustus, Visus, Auditus, Odoratus. Quorum tàm clara & certa sunt de propriis sensilibus judicia, ut nunquam in iis percipiendis per se fallantur. Debet tamen id, quod sensui obiicitur, aliquantulùm distare, eaque moderatione exhiberi, ut sensus imbecillitati aptetur. Nisi enim objectum inter & sensum aliquid medium intercedat, nihil percipere potest sensus; &, si nimis violentum fuerit sensile, sensum ipsum vehementer lædit aut corrumpit.

CX. Sed ex omnibus sensibus sunt cuique animali maximè necessarii, tactus & gustus: quorum primus per nervos, tanquã per suum organum, exercetur, circàque primas qualitates, aliasque cum iis connexas, versatur; alter verò, cujus organum nervus est, veluti in ramos, per linguam distributus, non nisi saporem percipit, qualitatem nempè ex humiditatis siccitatisque, per calorem concretarum, temperie ortam. A sapore autem proficiscitur odor: scilicet affectio sapidæ cujusdam siccitatis, in fumos resolutæ. Atq; istud est olfactus objectum, cui nares deserviunt, ut collecti odores ad processus mamillares deferantur. At sonus ad auditum spectat, dùm, collisis duobus in aere aut aqua corporibus, tremor indè quidam per varios aurium anfractus diffusus usq; ad tympanũ, purissimo spiritu plenum nervoque auditorio copulatũ, se se insinuat. Si-

CXI. Sicuti autem necessitate primus est tactus, è cujus mollitie, tanquàm certo ex argumento, humani ingenii præstantia colligitur ( homines enim carne duri, hebetes sunt & mente inepti; qui verò molles, ingeniosi et benè nati ) ita dignitate primus est visus, qui se in corpore habet, sicuti in anima intellectus. Circà excellentissimum nanque Objectum versatur, colorem nempè & lucem, quæ actus perspicui, ut perspicuum est, definitur. Pulcherrimũ quoq; atq; à natura elaboratissimum organum habet, sex musculorum ministerio in omnem flexile partem, cerebroq; per nervos opticos continuatum. Quinque illud tunicæ vestiunt, quibus tres comprehenduntur humores: scilicet aqueus, chrystallinus atq; albumineus. Tunicarum verò prima, Sclerotica dicitur, cui adjungitur cornea, ac deinde uvea, Iride mirabilis. Succedit quarta reticularis, atque ultima tandem specularis.

CXII. Hi sunt quidem externi sensus, à quibus transeunt intentionales species ad internos, atq; in primis ad sensum communem, judicem atq; arbitrum de omnibus exterioribus sensationibus. Deindè objectorum simulacra in phantasia resident, quæ sibi absentia variis modis fingit atque imaginatur. Unde omnis fabularum officina. Accedit, ut propria cujusque rei merita librentur, Æstimativa, cujus discretioni relinquuntur, quę à sensibus non fuere exterioribus percepta. E' quibus omnibus oritur appetitus, vi-

 ta-

Digitized by Google

talis ille impulſus, quo animal proſequitur bona fugitq; à malis. Quia tamen, quæ cupiuntur bona, magnis ſæpè circunvallantur difficultatibus; diviſus eſt appetitus ſenſitivus in concupiſcibilem, qui ad bonum anhelat, motuſq; ſex habet, amoris, odii, deſiderii, fugæ, gaudii & triſtitiæ; atq; in iraſcibilem, qui contrà mala atque impedimenta aſſurgit, ſive ſperando, ſive deſperando, ſive timendo, ſive audendo, ſive iraſcendo.

## EX LIBRO DE MEMORIA ET REMINISCENTIA.

CXIII. Sed neq; hic omittenda memoria, quam in iis, qui ratione utuntur, comitatur reminiſcentia: dùm homo, ex uno aliud ſeriatim deducendo, ejus tandem rei reminiſcitur, quæ mente exciderat: ut ſi ex lacte in candorem, ex candore in aerem, ex aere in humorem, ex humore in autumni memoriam veniat. Eſt verò memoria præteritorum, iis omnibus in vitæ ſubſidium concesſa animalibus, in quibus viget phantaſia. Hac parùm valent, quibus ſuperiora, proportione reliqui corporis, ſunt vaſta; quique in formam pumilionis degenerant.

## EX LIBRO DE SOMNO ET VIGILIA.

CXIV. Ut aliqua tamen animali eſſet requies; mutua quadam alternatione, ſibi vigilia & ſomnus ſuccedunt, utraque ſenſus communis affectio. Etenim



Digitized by Google

immobilitas quædam somnus est, & quasi nodus seù vinculum sensus, cujus exsolutio atque relaxatio, vigilia dicitur. Ex vigiliç autem excessu oritur in omnibus animalibus sopor, illa scilicet sentiendi impotentia: dùm, lassato sensu communi, ceteri quiescant sensus, necesse est, in animalium salutem. Atque illud quidem ex divaporatione præcipuè alimenti contingit, quæ spirituum nervorumque meatus obstruit, atque ita, donec dissipetur, soporem conciliat.

## EX LIBRO DE INSOMNIIS.

CXV. SÆpè inter dormiendum, potissimùm ubi nimii resederint humores, somniant animalia, quibus nempè in ipso somno phantasmata occurrunt eorum, quæ jam fuerant à vigilantibus sensibus apprehensa. Non somniant tamen, quæ ad statas Dœmoniacorum conventuum celebritates noctu verè deferuntur, sagæ.

## EX LIBRO DE DIVINATIONE PER SOMNIUM.

CXVI. E Quidem non sunt Medicis contemnenda somnia, de quibus scripsit olim Hippocrates. Nihilominùs inter malas artes reponenda nobis universim videtur Divinatio per somnium: ut si quis, qui rerum probè calleret similitudines, putaret se humana arte posse, ex fortuitis somniis, futura conjectari: etsi non negemus, quod aliquando accidisse Sacræ Litteræ te-



Digitized by Google

ftantur, immitti à Deo & bonis Angelis interdùm ſomnia: quorum tamen interpretationem quùm humana nequeat Ars expiſcari; nemo illam ſibi poteſt, niſi divino illuſtretur lumine, adrogare.

## EX LIBR. DE ANIMALIUM MOTIONE.

CXVII. QUanta verò ſit partium omniũ in animali conſenſio, ex ipſo eorum locali motu intelligi poteſt. Quandoquidem quotieſcunque ſeſe movere voluerint, ex cerebro, veluti primo motuum principio, per nervos continuata propagatione, ad muſculos diffunduntur ſpiritus animales, quibus, ad voluntatis aut appetitus arbitrium, muſculi ipſi contrahuntur aut dilatantur. ab appetitu enim hujuſmodi motus dependent. Atque hæc ſpirituum, à cerebro ad muſculos tranſmiſſorum, impreſſio tàm cita eſt atque ad modum illuminationis ſubitanea, ut appoſitè irradiationem appellaverit Galenus.

## EX LIBRO DE LONGITUDINE ET BREVITATE VITÆ.

CXVIII. ET tandiù moventur animalia, quandiù vivunt. Neq; enim idem eſt omnibus præfixus vitæ terminus: quùm alia ſint aliis diuturniora. Quod certè provenit ex diverſa humidi radicalis cum innato calore temperie: ita ut quibus major humidi calidique copia fuerit, ea diutiùs; breviùs verò vivant, quibus vel modicum

hu-

humidum facilè arescit, vel modicus calor extinguitur vel excrementorum abundantia naturalem obruit calorem. Hinc salaciora brevioris sunt vitæ animalia: & sanguinea diutiùs quàm exsanguia; terrestriaq; diutiùs quàm aquatica vivunt: ut elephantes, quibus usq; ad annos tercentos, & amplius, vita protrahitur. Diutissimè verò vivunt arbores: quia humore constant lento, tenacique, qui non facilè à calore exsiccetur. Potest tamen per artem humana prorogari vita: ad cujus longævitatem maximè, inter alia, conducit tepida calidaque regio, opportunum moderatumque alimentum.

## EX LIBRO DE JUVENTUTE ET SENECTUTE, VITA ET MORTE.

CXIX. Ex iisdem, ex quibus vitæ brevitas & longitudo pendet, principiis oriuntur juventutis senectutisque discrimina; & tandèm, omnium animalium finis, extinctio innati caloris, mors sive violenta atque ab alio illata, sive naturalis, effœto deficiente demùm calore. Omnibus enim statutum est animalibus mori: si tamen excipiatur homo, cui mors non ex naturæ, sed ex peccati lege debetur. Quapropter per quosdam juventutis senectutisque veluti gradus, ad mortem properat animal: dùm scilicet, prima sui ætate, vitali humore caloreque viger, qui tamen in dies deterior evadit, succedente crudiori humido: donec tandèm vitæ calor ferè obruatur in senectu-

te, quam, ex caloris iſtiuſce ingeniti defectu, tot conſequuntur, quot ſenex quiſque experitur, incommoda.

## EX LIBRO DE RESPIRATIONE.

CXX. Verùm in caloris refrigerium data eſt animalibus reſpiratio, iis quidem omnibus, quibus dati ſunt pulmones. ſit enim, veluti per folles, reſpiratio, attracto regeſtoque à pulmonibus aere. Unde non reſpirant, qui pulmonum loco branchias habent non cetoſi piſces, quibus abundè ad refrigerationem ſufficit aqua.

## EX LIBRO DE INCESSU ANIMALIUM.

CXXI. Quin etiam, ne ulla in parte provida deeſſet Natura, dedit animalibus quo progrederentur, ſuo quodlibet inceſſu, ſive greſſu, ſive natatu, ſive volatu, ſive reptatu. Neque enim uno, eodemque modo moventur animalia, quorum alia bipeda, alia quadrupeda, alia multipeda, alia tandem nullipeda. Quibus omnibus illud eſt commune, ut duabus ſaltem organicis partibus conſtent, quarum una quieſcat, altera moveatur.

## EX LIBRO DE SPIRITU.

CXXII. Profectò ad hæc omnia animalium munera maximè neceſſaria fuit magna ſpirituum copia, quos, puriore è ſanguine defæcatiori vaporem, non immeritò dixeris. Horum alii vitales atque à cor-

corde orti, præcipua sunt vitæ vitaliumque actionum fomenta; alii animales atque è cerebro profecti, cognitioni deserviunt. Unde qui spiritus animales meliores habuerit, eò meliori pollet rerum cognitione.

## EX LIBR. DE HISTORIA ANIMALIUM

CXXIII. QUòd si eos sequi velimus, qui animalium historiam descripsere; ea universim dividimus in terrestria, volatilia, aquatica atque amphibia, sub quorum singulis generibus innumeræ continentur species. Licet autem inter terrestria, rationis expertia, animantia, quorum alia carnivora, alia herbivora, aliaque omnivora, plura enumerentur insigniora, ut equus, canis, bos, camelus, rhinoceros, panthera, aper, cervus, ursus, tigris, lupus, ferarumque omnium princeps leo: nullum tamen nobis videtur elephante prudentius, atque ad humanos mores accomodatius animal. Sic inter volatilia sapientia humanæque Reipublicæ imitatione præcellit apis; inter aves verò primatus vulgò tribuitur aquilæ, quam visus acies commendat. Psittacus etiam & pica, humani sermonis æmulatione celebres.

CXXIV. Porrò piscium alii sanguinei, alii exsangues. Inter sanguineos cetacei adnumerantur, cetaceorumq; maxima balæna, & qui branchiales dicuntur, marini, fluviatiles & lacustres. Exsangues verò in tres distribuuntur classes; ità ut alii molles sint extrinsecùs, ut sepia; alii extrinsecùs crusta-



Digitized by Google

cei,ut cancer; alii teſtacei, ut oſtreæ & conchæ. Sunt & alia amphibia, quibus aqua & terra, communis eſt patria: ut horrenda illa Ægypto bellua, crocodilus.

EX LIBR. DE PARTIBUS ANIMALIUM

CXXV. VAriis hujuſmodi omnia animalia partibus, tùm ſimilaribus tùm diſſimilaribus, conſtant, quas accuratè Anatomici proſequuntur. Sed præcipuè, partium iſtarum varietate & pulchritudine, maximè inſigne eſt humanum corpus: cuius integrantes inter partes cenſeri debet ſanguis. Verè enim in omnibus animalibus vivit ſanguis, eandem ſortitus animam, qua aliæ vivæ partes informantur: etſi Medicorum pleriq; inficientur. Sic etiam per eandem vivunt animam, bilis, pituita & melancholia, &, qui vitæ tùm vegetativæ tùm ſenſitivæ famulantur, ſpiritus illi puriſſimi, vitales atq; animales. Immò non ſunt à verarum partium, quas vita animat, numero procul amandanda quędam veluti arma atq; animalium ornamenta: ut dentes, ungues, capilli, ungulæ, plumæ, ſquamæ, pili, ſetæ, cornua, aliaque hujuſmodi à Natura conceſſa animalibus præſidia. Quia tamen ſemen & lac ad corporis integritatem non ſpectant; procul dubio non ad illa debet anima, qua totum vivit corpus, porrigi.

CXXVI. Quantum verò ad nobiliores totius corporis partes pertinet; celebris hic à quibuſdam movetur controverſia, utrùm



Digitized by Google

ſit cerebro cor longè præferendum. Negant Medicorum plerique, qui cerebro, veluti nervorum & ſpirituum animalium origini, primatum tribuunt. Nos tamen cum Ariſtotele cor anteponimus, tanquam princeps inter omnia membrum, quod primum vivat, ultimumq; moriatur; undeq; prima ſit ſpirituum, qui in cerebri deinde ventriculis deſęcantur, animales dicti, ſcaturigo.

## EX LIBRIS DE GENERATIONE ANIMALIUM.

CXXVII. Etenim certò conſtat, cor primum in animalium generatione efformari. Sed non eſt æquè certum, quod Ariſtotelem docuiſſe Peripatetici plures exiſtimarunt, tres ſibi animas in hominis generatione ſeriatim ſuccedere, vegetativã, ſenſitivam, rationalem: quatenus ſeminali virtute ita ſemper diſponatur corpuſculum, ut aptum fiat ad nobiliorem animam, veteri expulſa, recipiendam. Siquidem Natura, ut recentia oſtendunt experimenta, non à vitæ vegetativæ organis; ſed ab iis, quæ vitæ competunt ſenſitivæ, animalis ſtructuram aggreditur. Neque alia certè requiritur ad animæ rationalis introductionẽ corporis diſpoſitio, quàm quæ ad ſenſum exigitur.

CXXVIII. Definitur autem univerſim ea, de qua loquimur, generatio: origo viventis à vivente conjuncto in ſimilitudinem naturæ. Quare verè omnia gignunt animantia, quæ aliud naturæ ſuæ ſimile vivens ex



Digitized by Google

ſeſe profundunt : atque ad iſtud opus vehementiſſimo naturæ inſtinctu impelluntur: ut ita ſpeciei ſuæ perpetuitati ſuccurrant. Quòd ſi materia, quæ generationi deſervit, nimia, aut modica, aut incongrua fuerit; naſcantur, oportet, monſtra, qualia ſæpè edere conſuevit Africa: plurimùm etiam ad hujuſmodi monſtrorum productionem conducente matris phantaſia, cujus vehementi impreſſione ſpiritus plaſtici immutantur.

EX LIBRO DE MIRABILIBUS AUSCULTATIONIBUS.

CXXIX. ADmirationem ſanè merentur, quæ de animalibus, fontibus, lacubus, metallis, lapidibus, inſulis, deſcribuntur hic ab Ariſtotele terra marique inſignia Naturę portenta. Nos ea tamen omnia omittimus, uno, quod ætas noſtra reperit, vitri ſtillatitii miraculo contenti. Repetitis nanque mallei ictibus in ventre reſiſtit: at, diffracto capite,in minutiſſima ſtatim, cum ingenti fragore, fruſta diſſilit. Iſtiuſce autem miraculi non ſunt ita cognitu difficiles arcanæque cauſſæ, ut ſi quis velit eas probè intelligere,nō poſſint à nobis diſtinctiùs aperiri.

EX LIBR. PHYSIOGNOMICORUM.

CXXX. NOn ita eſt facile ex exterioribus corporis lineamentis conjecturā de moribus ferre. Nihilominus quia ani-

anima & corpus mutuo sibi fœdere respondent, uniusque ad aliud transeunt affectiones; inventa Ars est Physiognomica, quæ ex omnibus corporis motibus, colore, pilis, aliisque id genus signis, naturales animi propensiones expiscatur. Ut si color albus cum rubore in lævi corpore bonam indolem designare dicatur; pilorum mollities timorem; durities fortitudinem; mollis caro ingenium; caro verò modica & desiccata malos mores; nasi mox à fronte curvitas inverecundiam; oculi concavi maleficum animum; frons parva disciplinæ incapacem; parvum caput stoliditatem: ut cetera prætermittantur, quibus ingeniosi, inverecundi, modesti, avari, iracundi, mansueti, libidinosi innotescũt, signa.

## EX LIBRO DE QUÆSTIONIBUS MECHANICIS.

CXXXI. Sic etiam consultò omittimus, quæ ad Artes potiùs Mechanicas, quàm ad Philosophiam pertinent, discussę hic ab Aristotele Mechanicę Quęstiones: nisi tamen & nos, ne ulli parti deesse videamur, ad exemplum Aristotelis velimus istas, quæ sequuntur, ventilationi exhibere. 1. Cur gubernaculum parvum atq; in extremo situm navigio, tantas habet vires, ut ab exiguo temone, & ab homine uno viribus alioqui modicè utente, magnæ navigiorum moveantur moles? 2. Cur quantò longiora sunt ligna, tantò imbecilliora fiant? 3. Cur siquis super lignum magnam imponat secu-

rim, desuperque magnum adiiciat pondus, lignum non dividit; si verò securim extollens percutiat, illud scindit: quùm alioqui multò minus habeat ponderis id quod percutit, quàm id quod superjacet & premit? 4. Cur neque parva valdè neque magna longè proiici queant? 5. Cur faciliùs moveatur commotum, quàm id quod quiescit? 6. Cur lignum, licet aqua levius, ei tamen aliqua ex parte immergatur?

## EX LIBRO DE IIS, QUÆ SUB AUDITUM CADUNT.

CXXXII. MAgis ad institutum nostrum facit de voce quæstio: quùm aer ore animalis attractus, non pulmonum tantùm refrigerationi deserviat; verùm etiã voci. Nàm erumpentem ex pulmonibus aerem per asperam arteriam, larynx, qui ut in omnem se vertat partem, quatuordecim donatus est musculis; ita vario sui motu moderatur, ut varia inde pro diversa organi dispositione consurgat vocum modulatio. Unde, quæ pulmonibus aerisque respiratione carent, vocem nequeunt articulatam edere animalia.

## EX LIBRO DE COLORIBUS.

CXXXIII. VOx sub auditum; color autem sub visum cadit: quem possumus definire, lucẽ opacitatis admixtione refractam. Ex umbra enim & luce lucisq;

re-

repercussione, corporumq; lævigatione atq; attritu, variaque horum omnium temperie varia oriuntur colorum discrimina. Horum omnium maximè simplices, qui elementorũ naturas consequuntur, colores sunt, albus, & flavus: quia aqua & aer, immò & terra alba suopte sunt ingenio elementa; flavus verò ignis. Sed promiscua ipsorum elementorum transmutatione niger sequitur color, qui albo opponitur, colorum omnium extremus. Nàm ex magna lucis resilientis copia, cui vix aliquid admixtum est umbræ, oritur albedo; nigredo verò ex lucis veluti deliquio: dùm lucidi absorbentur potiùs, quàm resiliunt radii. Ceteri verò inter istosce extremos medii intercedunt colores, atq; ex horum oriuntur temperamento, pro varia sive majori sive minori admixtione, ut fuscus, puniceus, & purpureus, aliiq; quorum aliquis cuilibet superficiei inhæret.

## EX LIBRO DE INSECABILIBUS LINEIS

CXXXIV. Porrò à Mathematicis concipitur superficies, veluti quidam lineæ effluxus, illius scilicet primę simplicisque, secundum longitudinem tantùm, dimensionis. Hanc verò qui neget dividi secarique posse, quemadmodum luculenta in Aristotelem paraphrasi demonstravit Georgius Pachymerius; ingenii profectò sui specimen exhibere magis amat, quàm rerum sectari veritatem.



Digitized by Google

EX LIBRO DE XENOPHANE, ZENONE ET GORGIA.

CXXXV. QUam ſanè veritatem non ſunt Xenophanes & Gorgias aſſecuti: quorum primus dicebat, æternum eſſe quidquid eſt, quòd fieri non poſſet, ut ex nihilo quiſpiam exiſteret; alter verò, non eſſe quippiam; & ſi ſit, cognoſci non poſſe; & ſi cognoſci poſſit, eſſe tamen ejuſmodi, ut nequeat manifeſtari. Optimè omnium Zenon, cujus hæc erat celebris de Deo ſententia, quanvis non bono innixa argumento: fieri non poſſe, ut ſi quid eſt, id factum fuerit.

EX LIBR. DE SIGNIS, DE VENTORUM SITU ET APPELLATIONIBUS.

CXXXVI. SUpereſt tandèm ad perfectam Phyſiologię totius abſolutionem ventorum appellatio, quorum quatuor pręcipui à quatuor Mundi partibus ſpirant: nempè Boreas à Septentrione frigidus; Auſter à Meridie calidus; Apeliotes ſive Subſolanus ab Oriente ſerenus; Favonius ſive Zephyrus ab Occidente humidus & pluvioſus. Quibus alii medii adduntur, ſuo quilibet nomine diſtincti, venti.

EX LIBRIS ETHICORUM AD NICOMACHUM, MAGNORUM MORALIUM ET EUDEMIORUM.

CXXXVII. VErùm enim verò parùm ad beatam vitam rerum co-

Digitized by Google

cognitio, quantunvis perfecta, conducit, nisi ex Philosophia fructus hic præcipuus percipiatur, recta morum institutio. ut enim monet Plato, boni mores vera est Sapientia, cujus Scientię sunt ornamenta. Quapropter Philosopho maximè est in Ethicam incumbendum, Scientiam omninò practicam: quia tota circa humanos mores versatur, hominemq; ad ultimum finem dirigit. Quare non est cum Prudentiæ habitu confundenda, à qua distinguitur. Ea, si privatum instituit, Monastica; si civem, Politica; si domesticũ, Oeconomica nuncupatur. Quas certè omnes partes uberrimè prosecutus est Aristoteles, tùm in libris, quos ad Nicomachum filium scripsit, Magnisque Moralibus atque Eudemiis, ubi ferè eadem omnia repetuntur, quę in Nicomachæis differuerat; tùm in Politicis; tùm denique in Oeconomicis: monito tamen auditore, ne exactam hac in parte methodum desideret, sed quantam patiuntur Moralia.

CXXXVIII. Igitur quùm nequeat homo benè agere & vivere, nisi ultimum sibi finem præstituat, ad quem actiones suas dirigat destinetq; omnes; necesse profectò est, ultimus hic finis admittatur, qui propter se tantùm desideretur, & propter ipsum cetera. Quare nunquã eadem voluntas potest simul in duos ultimos fines tendere. Sed quùm unus ille sit finis; atque in eo conveniant omnes, quòd beati esse velint: differunt tamen mali à bonis, quòd boni, qui rationis honestatisq; du-

ductum sequuntur, beatitudinē ibi suam collocent, ubi revera invenitur; mali verò, qui pravis abripiuntur affectibus, quęrunt ibi felicitatē, ubi vera invenitur miseria. Unde fit, ut nunquā eorū expleatur sitis: sed quò plura habent, plura desiderent, ardentiori semper, quominus expleta voluntate: adeò ut ducentas octoginta & octo Philosophorum de ultima beatitudine sectas annumerari posse, jam olim demonstraverit Romanorum doctissimus M. Varro. Neque enim beatum efficere hominem possunt honores nominisq; gloria, aut, solicitudinum formidinumque seminarium, principatus; neq; divitiarum neque voluptatum affluentia, neque alia quæcunq; sive corporis sive fortunæ bona. Ista omnia, ut placet, habeantur: nunquàm tamen aderit ea, quam describit Tullius, bonorum omnium, seclusis omnibus malis, cumulata complexio. Major est homo & ad majora genitus, quàm ut ambitioni, avaritiæ, libidinique deserviat: debetque ad altiorem se finem per virtutem contendere, in qua proinde sita non est, ut opinabantur Stoici, humana felicitas.

CXXXIX. Itaque in solo Deo, propter quem est conditus, invenire potest homo perfectam suam beatitudinem, tanquam in infinito bonorum omnium pelago, longèq; meliori, quàm ut mens concipiat & capiat voluntas: ut eò nempè redeat, unde habuit, ut esset, homo. Assequitur autem hanc suam felicitatem, dùm, ut explicat Plato, fruitur

Deo

Digitized by Google

Deo, non ut amicus amico, ſed ut oculus luce: quia revera ſummum bonum habere nihil aliud eſt quàm noſse, quùm in clariſſima & perfectiſſima, quam ordo naturæ patitur, contemplatione, non in amore, conſiſtat beatitudo. Licet enim fieri non poſſit, ut Beatus non vehementiſſimè & neceſſariò amet id quod videt omne bonum, eoque ſummè delectetur; adeoq; ex amore & gaudio integretur beatitudo: non per plures tamen actus beatitudinis eſſentia metaphyſicè conſtituitur; ſed per unum tantùm, eumq; primum ac perfectiſſimum, qui eſt cognitio. Quùm autē in hac vita nemo poſſit clarè Deum intueri; ſed ſe ad Divina homo habeat, ſicuti oculus noctuæ ad Solem: imperfecta ſanè quadam frui poteſt, dum in terris degit, felicitate, ſi Deo per rectum ſenſum, rectumq; cultum piè adhærat. Nihilominus plenior illa, omnibuſque numeris abſoluta beatitudo, quam ultimam reſpicit metam deſiderium naturale, in altera ſperari tantùm debet melioriq; vita. Naturalem enim duntaxat beatitatem nos hic Philoſophi ſpectamus: quibus tamen non improbanda videtur illorum Theologorum ſententia, qui beatitudinem patrię in cognitione; vię verò in amore Dei collocandam cenſent.

CLX. Ea ut comparetur, neceſſaria cuilibet, qui ratione utitur, dedit Deus adjumenta, quibus præſens etiam vita feliciter tranſigatur: adeò ut nemo, vel Phalaridis tauro concluſus, miſer eſſe poſſit, ni velit.

ut

ut luculenta homilia ostendit olim Johannes Chrysostomus. Per ea igitur, quæ spontè à nobis fiunt, sive voluntaria, patet nobis sive ad beatitudinem, sive ad calamitatem aditus. Est autem voluntarium id, cujus principium est in eo, qui agit, res singulares eas, in quibus actio consistit, non ignorante: ac proindè maximè ei opponitur violentum, cujus principium extra est atque ejusmodi, ut nihil adjumenti afferat is qui agit, aut qui patitur. In tantùm verò opponitur, ut si violentia absoluta fuerit, quam ipsa tamen nunquam pati potest in proprio actu voluntas; destruatur omnino quidquid unquam est voluntarii. At voluntaria esse non desinunt, quę cogente impulsu facimus, aut etiam graviori, & cujus virum constantem non pudeat, metu. Quanvis enim ibi mixtura quædam voluntarii & involuntarii interveniat; voluntarium tamen absolutè est, quod in ea circumstantiarum serie absolutè volumus, ut si quis naufragii timore merces in mare projiciat. Sic etiam involuntariam actionem non reddunt, quæ spontè ignoramus. cujusmodi ignorantia, subsequens nuncupari solet. Nam si qua per ignorantiam facimus, quæ posteà facta dolent, ea invitè fecisse censemur.

CXLI. Verùm tantùm abest, ut minùs spontè fiat id quod fit alliciente impotentis animi concupiscentia, ut eò magis voluntarium sit opus, quò magis concupitũ. Quanquam per concupiscentiam malitia soleat ut plu-

plurimùm minui : quia minuitur libertas humana, dùm plenior impeditur judicii deliberatio. quandoquidem libertas, perfecta est voluntatis in suos actus potestas, absolutúq; sui ipsius regendæ jus ex propria electione. Quapropter ut vera arbitrii libertate gaudeamus, non sufficit, quod vult Jansenius, eximi à violentia voluntatem, cui lumen intellectus præfulgeat; sed est omninò necesse, indifferens ad utrumlibet sit eadem voluntas, velitque, quia vult, non ex naturali instinctu: adeò ut quod ei proponitur amandum, possit, ut libuerit, non amare. Unde Beati Deum necessario amant, quia sine indifferentia omnimodum illud bonum amant. Hæc autem, quam libertas sibi necessariò postulat, indifferentia, non est illa, quam contrarietatis vocant: quùm satis sit indifferentia contradictionis. Neque item est indifferentia moralis, qua vitiatur potiùs, quàm perficitur libertas. Quia tamen voluntas intellectus dictamen in omnibus sequitur; fieri nunquam potest, ut si intellectus aliquid magis hic & nunc eligendum voluntati proponat; eligat volũtas, quod minùs eligendum: quantumvis longè majus absolutè videatur bonum.

CXLII. Ut verò non temerè ac præcipitanter; sed prudenter atq; humano modò, in suis omnibus motibus se habeat homo; hæc servanda potissimùm est actuum œconomia: ut usq; ad plenam negotii totius absolutioně, mutuo quodam ordine, se præcedant ac subse-

Digitized by Google

sequantur, sex, in directionem, motus intellectus, sexque alii, in exercitium, motus voluntatis. Nam quùm nihil velimus, quod nõ præcognoverimus; apprehendit primò intellectus, exhibetq; voluntati bonum, quod statim voluntas amat, sibique in eo complacet. Quæ sanè voluntatis complacentia, si prima sit, non à communi illo, quo cetera moventur; sed à speciali quodam est primi auctoris influxu. Inde, si intellectus judicet, bonum illud expedire; efficaci appetitu tendit in illud per media obtinendum voluntas. Deliberat posteà intellectus per consultationem de eorundem mediorum, quæ sub humanam potestatem cadunt, opportunitate; voluntasq; approbat consentiendo. Attamen quùm plurima sæpè occurrant media; opus est judicio, quo meliora discernantur: cujus ductu unum præ alio eligit voluntas. Accedit deindè, ut operi manus admoveatur, intellectus imperium, quod prompta exequitur voluntas, ceteris ad usum redactis potentiis: donec tandem potentiarum inferiorum opera id omne obtineatur, in quo, veluti ultimo desideriorum omnium termino, quiescat voluntas.

CXLIII. Prudenter profectò agit, qui eo, quem descripsimus, modo agit. Sed voluntatem sæpè abripiunt turbantque pulcherrimum illum actionum humanarum ordinem passiones, seù, ut latinè magis loquitur Tullius, perturbationes: quas ut moderari; ita & cognoscere debet philosophus. Siquis enim

enim eas, ut decet, regere ſciat, rationique ſubdere; non ſolùm vitio vertendæ nõ ſunt cum Stoicis: verùm etiam urgentiſſima ſunt ad virtutem excitamenta. Itaq; quùm duas faciant appetitus ſenſitivi partes, cupiditatē atque iram: paſſionum quoque, quas ex Damaſceno deſcribit S. Thomas, motus appetitivę virtutis ſenſibilis ex imaginatione boni vel mali, cum tranſmutatione corporea; duplex diſtincta eſt claſſis. Nam alię ad concupiſcentiam ſpectant: ut amor & odium; deſiderium & fuga; gaudium & dolor: aliæ verò ad appetitum iraſcibilem: ſcilicet ſpes & deſperatio; audacia & metus; & ira.

CXLIV. Amor autem, paſſionum omniũ princeps, odioq; maximè inimicus, breviter, ſed ingenioſè, definitur à S. Thoma: complacentia appetibilis ſeù boni. à bono enim gignitur amor, atque à pulchritudine potiſſimùm, per quam plus cõmendationis, quàm per ullam epiſtolam, afferri dicebat non immeritò Ariſtoteles. Inde fit, ut amans unionem cum amato quærat, eique, quantum poteſt, per cogitationem atq; affectum adhæreat: ita ut ſui ipſius videatur oblitus, ut omnes ſolicitudinis ſuæ partes in amato defigat, omniaq; ei bona procuret. Differt verò ab amore amicitia, ſicut à perturbatione virtus ſive habitus: quia ibi tantùm locum habet amicitia, ubi mutua invenitur, atque aperta amoris reciprocatio propter aliquod bonum, ſive honeſtum, ſive utile, ſive jucundum. Quare ex triplici bonorum, quibus

ami-

Digitized by Google

amicitiæ conciliantur, diverſitate, tres diſtingui debent amicitiarum ſpecies: quarum perfectiſſima eſt,& vera conſtantiorque amicitia, quæ, ex honeſtate nata, non niſi inter prudentes bonoſq; viros vigere poteſt. Hęc ſanè rariſſima eſt: ſiquidem vetus proverbium habet: multos modios ſalis ſimul edendos eſſe, ut homines inter ſe norint. Neque quenquam, ut benè notat Ariſtoteles, in amicitiam recipere, probareq; oportet, neque ullos inter ſe amicos eſſe, priuſquam alter alteri dignus, qui ametur, dignuſque, cui fides habeatur, viſus fuerit.

CXLV, Quòd ſi bonum, quod amatur, abeſt; fertur in illud motu deſiderii appetitus, adeò vehementer aliquandò, ut in ſuſpiria prorumpat. Sicuti econtra malum maximè averſatur. Facilè autem deſideria noſtra explerentur, ſi naturæ,quæ paucis eſt contenta, ſtaremus. Sed dùm ea appetimus, quæ Natura non exigit,ex deſideriis deſideria naſcuntur, quibus nullus unquam conſtituetur finis. Si verò bonum aſſequimur, quod tanto proſequebamur affectu; delectatur ecce appetitus,atq; in eo quieſcit: quùm econtra valdè triſtetur & doleat, ſi nequeat, quod cupit, obtinere; aut, ſi pro bono incidat in malum. Quæ autem ſunt mœſtitiæ remedia, ea ſunt etiam cauſſæ delectationis: ut contemplatio veritatis, amicorum alloquium, balnea, lachrymæ, ſimilitudo, varietas, ſpes futuri & memoria præteriti.

CXLVI. Nam ſperatur etiam, quod non ha-

habetur, adeptu difficile bonum: sive experientia quis sua nitatur, sive viribus, sive impedimenta parùm consideret: ut juvenes, qui spe magis vivunt quàm memoria. Sępè enim attentiùs consideratæ difficultates desperationem de comparando bono inducunt. At fortior aliquando spes, revocato calore ac spiritibus, animum in audaciam erigit, ut in terribile, siquod occurrat malum, constantiùs insurgat. Si majus tamen sit malum, quàm ut vitari possit, sequitur timor, quo periculi imminentis gravitati appetitus succumbit, turbata mente, & calore, qui, salutis caussa, ad vitæ arcem cor confugit, exterioribus membris destitutis. Secùs accidit in ira, per quam facies ignescit, exsaperantur oculi, fervetq; circa cor sanguis. maximè enim concitatur ad apertam, minimèque insidiosam de accepta injuria ultionem appetitus; tùm ob alias caussas; tùm pręcipuè ob contemptum, contumelias, calumniam malignamque alterius voluntatem. Vehementior quoque ira est, quò excellentior persona fuerit, quæ se ab alio, cui beneficia multa contulit, videt per summam ingratitudinem ignominias & dedecora pati, nullo alio quæsito contumeliarum fructu, quàm ut malefaciendo delectetur.

CXLVII. Quapropter quùm tantam affectionum perturbationumq; turbam experiatur quotidiè homo; debet animum ipse suum virtute constabilire: ut motus omnes ad regulas morum dirigat & conformet.

quan-

Digitized by Google

quandoquidem nulla ex iis actio, quæ humanæ dicuntur, quia ex deliberatione procedunt; re ipsa & tunc temporis, quo exercetur, indifferenter se habere potest: sed est omnino necesse, bona sit vel mala; bona, si honestati consonet; mala verò, si dissonet. Quæ duæ bonitatis & malitiæ rationes sunt tota illa moralitas, quam induunt actus liberi, atque ad bonum sive malum finem transcendentali quodam ordine relati. Neque enim consuetudine aut opinione Honestum constat; sed quibusdam regulis, quibus humanas actiones, ut rectæ sint & laudabiles, metiri debemus.

CXLVIII. Sunt autem duæ regulæ hujusmodi, una propinqua & homogenea, scilicet humana ratio; alia prima, omniumque princeps, lex nempè æterna, quæ est quasi ratio Dei, omnia in debitum finem dirigentis. Hanc Augustinus summam rationem vocat, cui obtemperandum est. Verùm in humanæ rationis dictamine duo distinguuntur: synderesis, qua principia practica lumine naturali nota universim percipiuntur; & conscientia, quam definit S. Thomas, judicium intellectus, quo quis applicat suam conscientiam practicam ad actum particularem. scilicet, ne ulla nobis esset excusatio, Deus hunc nobis dedit domesticum omnium actionum testem, excusatorem bonarum, malarumque accusatorem. Est autem varia pro judiciorum varietate conscientia: scilicet recta, bonæ actionis principium; prava,

ma-

malæ actionis radix; probabilis, quæ principiis verosimilibus nititur; dubia, quæ quò se vertat, non habet; certa, quæ de judicii sui firmitate non dubitat; scrupulosa, quæ leviuscula fundamenta pro magni ponderis rationibus habet; & tandem erronea, quæ ex falsis orta principiis, non excusat tamen, nisi aliundè excuset, qui superari nequeat, error. Porrò probabilis conscientia sic à nobis humanarum actionum regula statuitur, ut in iis, quæ ad humanos mores pertinent, nunquàm liceat, malle, minus probabilis de actionis honestate opinionis ductum reipsa sequi, quàm probabilioris de ejusdem actionis pravitate.

CXLIX. Sed prætereà à Lege æterna aliæ dimanant leges, quibus humanæ societati nihil utilius: quùm per illas vita nostra certiùs ad suum finem dirigatur, præceptis bonis, vetitis malis, permissis indifferentibus; pœna malis, bonisq; statuto præmio. Quoniam verò legis est cogere; ad eum tantùm spectat leges condere, penes quem summa est in populum potestas, rerumque omnium arbitrium. Unde benè definita est lex à S. Thoma, ordinatio rationis ad bonum commune, ab eo, qui præest communitati, promulgata: & dividitur in Naturalem, hominibus omnibus impressam, quæ quoad primaria & per se nota præcepta nullam unquã tolerat dispensationem; & positivam, veluti naturalis supplementum, quæ vel humana est vel Divina. Divina à Deo est, alia

Mosaica, alia Evangelica. Humana verò dividitur in Jus gentium, omnibus scilicet gentibus commune; & Jus Civile, cuilibet Reipublicæ proprium. Has nihilominus exigit conditiones humana lex, quam præstat scriptam esse & consuetudine niti: quòd justa sit, honesta, loco temporique apta, necessaria, utilis, manifesta; nullo privato commodo, sed pro communi utilitate civium edita.

## EX LIBRO DE VIRTUTIBUS & VITIIS.

CL. QUæ quùm ita se habeant; facilè constat, unum esse ad beatitudinem, quò omnia collimant, aditũ, virtutes: quarum quùm multa & præclara tradidisset in Libris Ethicis Aristoteles, anacephaleosin deinde brevi complexus est libello. Neque id superfluo aut irrito labore; quandoquidem per virtutes PhilosophiaMoralis pulcherrimam quandam in animum harmoniam inducit. Non hic verò dianoeticæ à nobis virtutes considerantur, quæ mentem circà veritatem perficiunt; sed Ethicæ, quæ honestarum actionum consuetudine comparantur, appetitumque tàm rationalem quàm sensitivum dirigunt in bonum. Neque enim sunt nobis à Natura insitæ: licet quædam earum veluti semina insideant, quibus fit ut quisque à natura insitam sibi propensionem habeat ad virtutem. Sed nisi rectarum actionum exercitatio accedat;

nun-

nunquàm gignitur ille habitus, quo homo, & bonus fiat & suo munere benè fungatur. Ita nanque à Philosopho definitur virtus: sive alio modo, habitus ad consilium agendi capiendum aptus & expeditus, in ea mediocritate positus, quæ ad nos comparatur, quęque ratione est definita, atque ut prudens definiret. Et quidem meritò: quùm virtus omnis, qua nemo potest ad malum uti, in medio sita sit, atque inter duo extrema vitiosa, excessum & defectum: ut patet, si quis per omnes & singulas virtutes breviter excurrat, ac præcipuè per illas quatuor principes, quibus, veluti totius honestatis cardinibus, ceteræ aliæ nituntur, Prudentiam, Justitiam, Fortitudinem, Temperantiam.

CLI. Itaque vitium omne, aut excessus aut defectus est virtutis, tantò quidem deformius, quantò pulchrior est virtus. Unde sicuti virtus, bona est qualitas mentis, qua rectè vivitur & nemo malè utitur; ita vitium, mala qualitas, qua malè vivitur & nemo benè utitur: ideòq; potest in quatuor dividi cardinalia, virtutibus opposita, vitia: nempè in imprudentiam, injustitiam, intemperantiam, & quod fortitudini adversatur, vitium. Immò quemadmodum eò perfectionis progreditur aliquando virtus, ut quia Heroum propria, Heroica nuncupetur, virtute communi longè excellentior, & veluti summus perfectionis gradus; ita in pessimis hominibus, ex immani vitiorum incremento, feritas quædam gignitur, qua

omnem videntur exuisse humanitatem, atq; ad bestiarum proximè conditionem accessisse. Quanquàm non semper connectuntur inter se vitia, sicut virtutes. Nàm licet imperfecta virtus aliarum carere possit consortio: ea tamen illarum est in statu perfecto connexio, ut qui unam perfectè habuerit; ceteras quoque alias necessario comitatu sit habiturus. Sed ab eo, qui summè aliquo in genere vitiosus est, cetera alia absunt oppositi generis vitia. Quanta porrò sit vitii, quo nihil naturæ contrarius, deformitas, monstrosus ostendit ejus partus, peccatum: quod est, dictum vel factum vel concupitum contra Legem æternam. Unde quia ab honestatis regulis recedit, caretque bonitate: ejus malitia non in aliquo positivo à nobis constituitur; sed in rectitudinis privatione. Quia etiam Deum offendit, infinito dignum honore; simpliciter infinitum nobis, quoad offensam, videtur.

CLII. Ut ergo medium illud, in quo sita est virtus, exactè discernatur; opus maximè est prudentia, rectæ rationis moderatrice, sine qua nullam posse unquam subsistere virtutem, adeò exploratum Socrates habuit, ut virtutes omnes prudentias appellaverit. Etenim prudentia, habitus est cum ratione vera conjunctus, ad agendum idoneus, in iis occupatus, quæ homini bona & mala sunt: ac proinde ad eam mentis partem spectat, quæ logistice dicitur. Quatuor etiam istas adjunctas sibi habet virtutes: eubuliam,

quæ

quæ benè consultat; synesim, quæ ex communibus legibus benè judicat; gnomen, quæ ex altioribus principiis de re morali sagaciter rectèque sentit; & conscientiam, de qua superiùs est dictum. Quare non est prudentia, sed panurgia, sive vafrities, qua quis ingeniosè, ut alios decipiat, abutitur. Prudentiæ enim certè est præcipere, exequendumque mandare id tantùm, quod bonum est, concurrentibus simul ratione, circumspectione, providentia, docilitate, cautione, eustochia & memoria. Quùm autem prudentia circa ea versetur, quæ sub actionem cadunt; de iis tantùm potest esse, de quibus potest esse consilium: nempè de singularibus; non autem de universalibus, de quibus scientia. Et quia bonum, quod à prudentia respicitur, aut privatum est, aut commune; alia etiam est prudentia monastica, qua quis regit se ipsum; alia œconomica, quæ domum gubernat; alia politica, qua Respubl. administratur; alia nomothetica, qua conduntur leges. Ex quibus omnibus patet, residere propriè in intellectu prudentiam: quanvis inter virtutes morales recenseatur, quòd refertur ad dirigendam in bonum voluntatem.

CLIII. Earum verò virtutum, quæ appetitui inhærent, nobilissima censetur Justitia; atque, ut exemplo Aristotelico utamur, admiratione longè dignior, quàm sit Hesper aut Lucifer: non solùm illam generalis, quę omnes sub se virtutes continet; verùm etiam

peculiaris, quæ à nobis hic intelligitur, virtus conſtans ſcilicet & perpetua voluntas jus ſuum unicuique tribuendi. Quapropter refertur propriè ad alium, verſaturque circa jus, quod eſt debiti æqualitas cum merito; atque in quadam analogia ſive proportione conſiſtit. Neque enim in lege talionis jus omne reponi debet: ſicuti Pythagorici voluere. Unde quùm triplex diſtinguatur proportio, Arithmetica, Geometrica atque Harmonica; tres quoque enumerantur juſtitiæ ſpecies, commutativa, diſtributiva & legalis. Nempè commutativa in humanis contractibus, proportione Arithmetica, equalem dati & accepti quantitatem conſiderat; diſtributiva, quam Reſpubl. ſive princeps in ſubditos exercet, proportione geometrica, cujuſque merita & dignitatem in diſtribuendis præmiis attendit; legalis denique, ſubditorum propria, cui Harmonica convenit proportio, omnia, quæ bonus civis debet, pro ſuis viribus Reipubl. impendit, ad legum præſcriptionem.

CLIV. Sed quia preter legem occurrunt, propter infinitam humanarum rerum varietatem, aliquando inſolita, quæ ſi religiosè ad verbum obſervarentur; ſummum jus, contra Legiſlatoris mentem, in ſummam redundaret injuriam: ſuccurrit æquitas, Græcis epiicia, quę veluti eorum ſupplementum, quæ ſunt à Legiſlatore prætermiſſa, legem ipſam emendat, benignèque interpretatur. Atque hic magna opus eſt cautione: ne pri-

va-

vata aliqua utilitate publicum bonum præposterè lædatur. Nàm judex, etiam si certò privatim sciat, innocentem esse, quem legitima solemnisque juris forma arguit reum: debet nihilominus, ex actis probatisque, ferre in eum sententiam. Justitiæ etiam plures adjunguntur virtutes: ut religio in Deum, pietas in parentes, observantia in majores, gratus animus in benefactores, liberalitas in dignos, justa per auctoritatem publicam vindicta in malos, veritas in dictis factisque: denique amicitia, cui non eadem inest ac justitiæ æqualitas. Imperfectior enim justitia, quæ est commutativa, proportione utitur Arithmetica: & amicitia imperfectior, quæ inter impares invenitur, geometrica. Contra verò perfectior justitia proportionem observat geometricam: & amicitia perfectior, qua pares uniuntur, arithmeticam.

CLV. Sequitur Fortitudo, digna Heroibus virtus; quæ inter timores atque audacias medium obtinet locum; atque in considerata periculorum susceptione laborumque perpessione elucescit. Unde non est fortitudo, quæ nihil timet aut temeritate nititur: sed quæ timet, ut ratio postulat: quùm ceteroquin in formidolosis & terribilibus, sive fortia agat, sive patiatur, adeò maneat imperterrita, ut nunquam à recto rationis tramite deflectat. Itaq; in timore magis quàm in audacia, certum sui dat experimentum; & in dolore magis, quo asperrima quæque pa-



Digitized by Google

patienter tolerantur, quàm in timore. Sola enim tunc virilis animus virtute fulcitur, quibuscunq; aliis destitutus ad fortitudinem incitamentis. Quanquàm, ut benè notat Aristoteles, fieri potest, ut vir fortis de morte tristetur, non ex animi infirmitate; sed quia longiori vita dignum se agnoscens, videt per mortem interrumpi suum ad virtutem cursum. Siquidem fortitudo magnanimitate nunquam destituitur, per quam sui conscia virtus ad magna quæque & heroica anhelat, summosque, quibus digna est, honores moderatè prosequitur. Unde fortitudinem etiam hæ alię virtutes concomitantur: magnificentia, magnarum atque excelsarum rerum cum ampla quadam animi, & splendida propositione administratrix; patientia, honestatis & utilitatis causa, rerum arduarum ac difficilium voluntaria & diuturna perpessio; & perseverantia, permansio scilicet stabilis & perpetua in benè considerata ratione. Quùm autem mollities animi sit, sustinere non posse mala; nunquã fortitudini adscribendum est, quod furor aut ignavia facit, sui ipsius homicidium.

CLVI. Ultima tandem omnium superest, ad moderandas animi nostri cupiditates, Temperantia, mediocritas circà voluptates corporeas, easque potissimùm, quæ ad gustum remque veneream spectantes, belluis non absimilem hominem reddunt. Hę nanque magna egent moderatione, ne sibi rationem subiiciant: quùm, ex verissimo Hera-

cli-

cliti apophthegmate, difficilius sit voluptati, quàm iracundiæ resistere. Non facit ergo temperantia, ut voluptates doloresque non percipiantur: sed ut homo nunquàm per hujusmodi motus rationem suam à recto abripi permittat. Unde ea media est inter stuporem sive anæsthesiam, & omni fœdiorem ignavia intemperantiam: dùm serviles corporis motus firmissimo quatuor illarum virtutum munimine regit, abstinentiæ, sobrietatis, castitatis & pudicitiæ. Et quia nescio qui pulcherrimus temperantiæ inter alias virtutes inest decor; sicuti & maxima intemperantiæ vitio turpitudo: ideò quicunque temperans est; summè quoque est verecundus atq; honestatis appetentissimus: quam ut in omnibus assequatur & conservet; sese ab insurgentibus appetitus motibus maximè continet, luxuriantes corporis gestus coercet; neque honores nimiùm curat modestus; iram refrenat mansuetus, parcitque clemens.

## EX LIBRIS POLITICORUM.

CLVII. Quoniam verò non sibi soli vivit homo; sed aliis etiam, quibuscum politicam init societatem; erudiri in civili vita debet, quæ in mutuo commodo atque usu civium ad virtutis cultum destinatur: ut suæ Reipubl., quæcunque illa sit, veluti bonus civis, strenuè allaboret. Commune enim eorum, qui obtemperant,

 bo-

Digitized by Google

bonum, finis est rectè institutæ Reipublicæ: quam definimus, ordinem civitatis quùm in aliis Magistratibus, tùm in eo maximè, qui potestatem atque auctoritatem habet supremam. Atque in eo laudabiles Imperiorum formæ à vitiosis distinguuntur: quòd ista, veluti despotica servorumque propria, privatam dominorum potissimum spectant utilitatem; illa verò, liberis hominibus digna, ad communem parentium salutem & commoda referuntur: ut principes sciant, civium non servitutem sibi traditã, sed tutelam; nec Rempubl. suam esse, sed se Reipublicæ. Quare tres illæ laudabiles rectæque publici regiminis species, quæ publico militant bono: regnum, principatus scilicet unius legitimè susceptus, atque ad communem utilitatem administratus; Aristocratia, Optimatum nempè imperium; & Timocratia sive Politia, populi communi bono consulentis potestas. Prava verò regimina, in quibus imperantium ambitioni ac libidini famulantur omnia, sunt: Tyrannis, injustum unius violentumque, in suam ipsius utilitatẽ, imperium; Oligarchia, paucorum locupletiorumque, suo ipsorum commodo prospicientium, dominatio; & Democratia, populi omnia in plebejorum commoditatem referentis, potestas. Facilè tamen, nisi Deus & virtus adjuvet, Regnum in Tyrannidem, Aristocratia in Oligarchiam, Politia in Democratiam degenerant.

CLVIII. Quodnam verò sit bonorum regimi-

Digitized by Google

giminum optimum, vocatur à magnis viris in controversiam. Immò sibi ipsi hac in parte dissonat Aristoteles: dum lib. 8. c. 12. Ethicorum, rerumpublic. rectè administrandarum optimam, regnum censet; malarum autem deterrimam, tyrannidem, utpote quę optimæ regendi formæ adversetur; & l. 14. Metaphys. c. 10. regnum etiam præfert, allato Homeri versu:

*Nec multos regnare bonum: rex unicus esto.*

& tamen Politic. l. 3. c. 11. & 15. Aristocratiam anteponit, exemplo cœnæ, quæ lautior, si multorum symbolis, quàm si unius sumptibus, comparetur. Nihilominus quibuscunque aliis Imperiis Principatum justis de caussis nos longè præferimus, vetustissimum imperii genus, ex quo cetera originem desumpsere. Nàm postquàm plures virtute præcellere cepissent; rejecto unus dominatu, commissa iis est Aristocratica & politica gubernatio. Inde, conversis ad divitias animis, inducta est Oligarchia, quà oppressa, invasit imperium tyrannis: donec tandem, tyrannide extincta, invaluit Democratia. At supremam illam Regis potestatem non adeò illimitatàm esse volumus, ut non bonis constricta sit legibus & constitutionibus: ne, cum pernicie Reipubl. plura ei, quàm decet, licere videantur. Nàm, ut vetus auctor ait, cui nimium licet, ei nimium libet, sumusque omnes deteriores licentia. Et tamen nulla certior est aptiorque conservandæ Monarchiæ caussa, quàm moderatio, qua



Digitized by Google

populorum benevolentiam sibi conciliant Principes, &, quod aptissimum est ad quietè regendum, caritatem.

CLIX. Quanquàm verò regnum, quod vel absolutum est vel Laconicum, possit ei vel successione vel electione deferri: præstat tamen successionis via, publicæ magis consona tranquillitati: admonente certissimo prudentiæ magistro Tacito, minori discrimine sumi Principem, quàm quæri. Facit etiam firmando patris imperio: notante eodem prudentissimo censore, non classes, non legiones, perinde firma imperii esse munimenta, quàm numerum liberorum. Ita tamen successionem nos anteponimus, ut qui succedit in imperium, neque spurius sit, neque femina: quemadmodum apud Gallos sive lege Salica, sive solemni Christianissimi regni consuetudine rectissimè institutum scimus. Quòd enim feminæ imperent aliquandò, non damnamus quidem: verum tamen, juxta Sacrarum Litterarum auctoritatem, universim non probatur à nobis, quibus notum est & perspectum, non imbecillem tantùm & imparem laboribus esse hunc sexum; sed, si licentia adsit, sævum atque ambitiosum.

CLX. At ab istis vitiis, certissima Imperii peste, alienum esse verum Principem oportet, quem alii omnes vivam vitæ regulam habent atque imitantur. ut enim verè olim magnus Rex judicavit, facilius est errare naturam, quàm ut dissimilem sui Prin-

ceps

ceps possit Rempubl. formare. Itaque, ut quietè, cum nominis sui gloria hostiumque terrore, regnet; hæc è multis pauca sunt ei penitùs observanda: ut ad publicum bonum, non ad privatum, sibi rerum omnium potestatem commissam esse, sæpiùs reminiscatur; eumque non posse finem, nisi per virtutem, obtineri, quam & ipse debet adsciscere & subditis instillare. Quare non nisi unam in toto regno, eamque Catholicam atque Orthodoxam, tolerandam esse Religionem; sed acriter puniendos, qui variant, aut è finibus abigendos: sicuti superioribus & nostris temporibus nunquàm satis laudato exemplo Magni Reges præstititerunt. neque enim faciliùs Reipubl. status innovari solet, quàm ab ista Religionum mutatione.

CLXI. Prætereà, ut regiarum omnium virtutum speculum se omnibus exhibeat; videat, ut in dicendo reddendoque jure justitiam clementia temperet, fidemque promissam religiosissimè observet; nec eos audiat, qui regnandi caussâ juris fideique violationem suadent. Hinc fraudibus non utatur malis, neque fœdera per calumniam eludat: sed vehementissimè aversetur, quæ per Divinam Legem interdicuntur, omnia decipiendi genera. Multa tamen aptè dissimulet; neque suis facilè credat; sibique dictum putet illud Epicharmi: Vigila & memor sis, nequid credas: nervi hi sunt prudentiæ. Ideò per paucis spectatæ probitatis viris fidat; caveatque apud ceteros, ne diffidere vi-

Digitized by Google

videatur. Habita enim fides ipsam plerunque obligat fidem. Conciliet etiam donis sibi secretissimè exterorum animos, feminarumque præcipuè, quæ minùs suspectæ habentur & plura sciunt: ut intima aliorum Principum consilia, si fieri potest, agnoscat.

CLXII. Insuper non minùs hominem se, quàm hominibus præesse cogitet: atque idcircò felicitati suæ frenos per modestiam imponat; neque nimium se in externo corporis cultu præferat. Non enim per superbiam aut insolentiam majestas comparatur, quam salutis tutelam non immeritò cum Curtio dixeris: sed per temperatam severitatem, gestus gravitatem, moderatumque recessum. Eò maximè conducit constantia, ne se populorum contemptui exponat: dùm quæ jussit, vetat, & quæ vetuit, jubet. Conducit & absolutum rerum omnium arbitrium, ut solus scilicet ille imperare videatur: quùm, ex Aristotele communis hæc sit custodia Principatus, neminem unum magnum facere: non quòd aliorum spernenda ei sint consilia; sed quia reges trahere consiliis cuncta debent, non sequi. Ceterùm quia Princeps sua scientia non potest tantam Imperii molem complecti; assumere in curarum partem debet consiliarios, taciturnos, fidos, prudentes, patriarum consuetudinum satis gnaros, ætate maturos, constantes, libertate simul & modestia præditos, qui, ex Basilii Imperatoris monito, rem suam privatam

Digitized by Google

tam benè gesserint, quibusque nihil magis cordi sit quàm pietas, nihilque magis exosum quàm adulatio. Horum autem ita se aptet consiliis, ut discernat & ipse, celetque quid sit facturus; & neque præmia neque pœnas consiliis (quocunque tandem modo res ceciderit) statuat.

CLXIII. Sed præcipuè maturè est ei deliberandum de inferendo bello; & tunc solùm, quando nulla, nisi in armis, relinquitur spes: præsertim si unus sit è minutis Principibus, quibus omninò expedit, consilio & astu res externas moliri, arma procul habere. Si ergo ad arma urgeat necessitas; sunt ea providè & moderatè adhibenda: jungenda fœdera cum vicinis potentioribusque gentibus: paranda ingens pecuniæ & commeatuum copia: deligendi milites, maximè domestici, boni magis quàm multi: & in pedite plus roboris, quàm in equite, reponendum; omnisque exercitus per severam disciplinam ad virtutem bellicam conformandus: ut à militibus Imperator potiùs quàm hostis metuatur. Denique recolendum sæpiùs illud Sapientis viri effatum: veram esse victoriam, quæ salva fide & integra dignitate parabitur. Possent & alia plura magisque recondita afferri hic Imperii arcana: sed ea revelare, nimis periculosum. nisi quod addimus, promovenda esse Principi Artium Liberalium studia, adsciscendosque in contubernium, ad doctrinæ famam, Sapientes & litteratos viros.

Hæ

Digitized by Google

CLXIV. Hæ sanè boni Principis artes. Sunt & sua tyrannidi præcepta, mala atque impia, quibus id, quod malè partum, pejùs etiam retineatur. Ea nos omnia scimus, possemusque in medium afferre, qualia parciùs Aristoteles, fusiùs posteà alii plures nostra ætate malè Politici tradiderunt, evertendo Principatui, quàm stabiliendo, aptiora. Sed horret animus, ea vel improbando commemorare, quæ populorum exitio audent tyranni, postquàm corpus suum externorum militum custodia vallaverint: dùm, ut notat Seneca, omnium manus observant; & eo quoque tempore, quo non captantur, peti se judicant; nullumque momentum immune à metu habent. Necesse est enim, multos timeat, quem multi timent. Et re vera alia prorsùs publici boni studiosos, pietatisque, quam profitemur, sectatores decent consilia, quàm improba illa & tyrannica, quibus mali Principes pro Imperii diuturnitate commune omnium odium mercantur. Illud unum scire sufficit, solere à tyranno omnem Rempublicam in solam sui ipsius referri commoditatem, malisque artibus subditos pusillanimes atque inter se discordes & diffidentes reddi; magnosque interim & virtute illustres viros, specie honoris & legationis, seponi. Nàm tyrannis semper aliena virtus formidolosa est. Quanquàm non diffitemur, pro sævitia aliquando quadam clementiæ dissimulatione uti Tyrannū, atque ad regiam propè imperandi rationem



Digitized by Google

accedere: itaut excellentes viros præmiis per se ipsum afficiat; nocentes verò & malos per alios puniat: ut, devoluto populorum in Magistratus odio, ipse sibi benevolentiam ab omnibus captet. Sed quacunque tandem via utatur tyrannus, non longiorem sibi vitam polliceri audeat. Nàm Thaleti res difficilis visa est, tyrannus senex.

CLXV. Sic etiam propriis quæcunque aliæ Respubl. utuntur artibus atque præceptis: ut Oligarchia & Democratia, quæ sunt frequentiora præter regnum Rerumpubl. genera. Nàm in Oligarchia, ut locupletiores omne Reipubl. arbitrium ad se trahant; mulcta ditioribus imponitur, ni ad Comitia veniant; pauperioribus verò nulla, qui falsa existimatione decepti, benè secum agi, quòd ab opificiis suis non distrahantur; totam in manu potentiorum potestatem relinquunt. Itèm Magistratus tenuioribus recusare licet; ditioribus non licet: ut alia omittantur, quibus in Oligarchia populo speciosè imponitur, fraudium genera. Contrà verò in Democratia nulla ditioribus decernitur mulcta, si ad Comitia venire, Magistratus suscipere, judicia exercere renuant: tenuioribus autem merces ad munera Reipubl. obeunda statuitur. Sed in utraque tamen Republ. modus est diligenter observandus: ne à nimio sive Democratiæ (sive Oligarchiæ excessu periculum immutandæ Reipubl. immineat. Quanquàm & plures seditionum, quibus publica quies discerpitur, & tan-

& tandem interit, recenseri possunt causse: Principum magistratuumque contumelia in privatos, violenta bonorum deprędatio, honores paucis & indignis collati, major unius potentia, quàm ut Reipubl. conditio ferat; oppressionis metus, odium & contemptus eorum, qui præsunt; magistratus hominibus sordidis, patriæ negligentibus, sive etiam exteris demandati. Verùm generale illud esto pro quaruncunque Rerumpubl. conservatione præceptum: potentiorem debere esse illam civium partem, quæ Reipubl. pręsentis incolumitati studet, quàm quæ in publicum exitiosa nihil spei, nisi per discordias, habet.

CLXVI. Maximè verò ad publicum bonum conducit recta puerorum institutio atq; educatio: cujus proinde Nomotheta potissimam habere rationem debet: quòd ex ejus neglectu & proveniant, & maxima semper provenerint Rebuspubl. incommoda; sicuti ex ejus cultu maxima bona. Unde quùm finis unus omni civitati propositus sit, publicum bonum; perspicuum est etiam, eandem puerorum omnium statuendam esse institutionem, publicam, non privatam, exemplo laudabili Lacedæmonum, quibus in consuetudine fuit, plurimum studii in pueros communiter & publicè conferre. Siquidem rerum communium exercitationem oportet quoque communem facere. Quare qui solemni proprioq; Instituto pueros sibi litteris & pietate imbuendos desti-

na-

narunt: ii ſanè omnes, Muneris ſui præſtantia atque utilitate, & ornamentum ſingulis locis ac civitatibus afferunt non exiguum, & de tota benemerentur Eccleſia, homines non ſibi nati, ſed publico bono. Licet autem Ariſtoteles quatuor iſtas adoleſcentulis addiſcendas eſſe artes præſcribat: Grammaticam, Gymnaſticam, Muſicam, & Graphicam: nos tamen tres iſtas ſingulis ſatis ſuperq; eſſe cenſemus: Grammaticam, Aritmeticam & Pædotribicam, humano univerſim generi neceſſarias.

## EX LIBRIS OECONOMICORUM.

CLXVII. Quùm autem civitas, perfecta ſit hominum benè vivendi cauſſa conjunctorum ſocietas, ex pluribus domibus familiiſque conflata: ad ejus certè felicitatem ſpectat, ut quiſque pater familias domum ſuam, ideſt ſocietatem in omnes vitæ dies ex naturali inſtinctu conſtitutam, benè privatim regat atque adminiſtret. Id quomodo ſit illi cum æquitate utilitateque ſua ſuorumque præſtandum, præſcribit Ars Oeconomica: quæ à Politica proinde differt, ut domus à civitate. Itaque curanda ſunt bono Oeconomo diligenter quæcunque ad perſonas rerumque domeſticarum comparationem ac conſervationem faciunt: ſed major tamen ejus cura circà homines, virtutemque atque honeſtatem verſari debet, quàm circa quæcunque alia, quæ uſui deſerviunt hu-

humano. Hinc, ex triplici personarum genere, triplex distinguitur Oeconomiæ species: herilis, gamica & patria. Ut enim omni ex parte perfecta sit domus: domino & servis; marito & uxore; patre & liberis constare debet. Dominus in servos imperium exercet despoticum, quos alit, ut ad omnia domus ministeria promptos paratosque habeat; politicum in uxorem, quam ut in mutuum subsidium vitæ sociam liberis procreandis adjungat sibi, ipsa urget Natura; & tandèm regium in filios, quorum bono assiduè incumbit, atque ut fortunis abundet, tantopere laborat.

CLXVIII. Quare Oeconomicæ administra adjungitur Ctetice, sive Chrematistice, ars quæstuaria, quæ & bona quærere docet & quæsita servare. Boni enim Oeconomi multùm interest, rem familiarem, quantum potest & permittunt leges æquitatis, ad suæ domus stabilimentum, augere. Chrematistice ergo alia naturalis est, alia commutatrix, alia mixta. Naturalis circa eas, quæ à natura sunt, veras divitias occupatur, nempè circà pecora, fruges, plantarumque fructus, & quæ venatione capiuntur. Unde in re pecuaria consistit, re venatoria, atque agricultura. Atque in agricultura quidem videndum, quænam fructuosiora sint, an frumentum, an vineæ, an oliveta: habendaque est ratio mellificii, & volatilium, aquatiliumque animalium. In re verò pastoritia considerandum, unde plus utilitatis es-

se possit, an ab equis pascendis, an ab ovibus, an à bovibus. Tandem venationi ita indulgendum, ut prædæ cupiditate nullum latrocinium, aut fraus admisceatur. Commutatrix Chrematistice, ad cujus usum sapienter institutus fuit, radix avaritiæ, nummus; tribus partibus constat, mercatura, fœneratione, locationeque operarum: quarum potissima mercatura in naucleriam dividitur, phortegiam, & parastasin: eo quòd vel ope navium exerceri possit, vel plaustris atque jumentis, vel domestica propriarum mercium venditione. Denique mixta Chrematistice, metallorum & lignorum negotiatione, lucrum quærit.

CLXIX. Ista etiam Oeconomo præcepta sunt in rei familiaris administratione observanda: ut fundos plures fructuosos habere malit, quàm amœnos: ut omnia per se ipsum videat, quùm oculo domini saginetur equus: ut à somno primus excitetur, & postremus cubet: ut maximam sanitatis rationem habeat: ut domum curet sic sitam esse, ut æstate ventis; hyeme Soli sit exposita: ut, si familia sit opulentior, ianitorem instituat: ut totam domus supellectilem suo loco ad rationem Laconicam disponat.





Digitized by Google

# EX TRIBUS LIBRIS RHETORICORUM AD THEODECTEN, ET UNO AD ALEXANDRUM.

CLXX. His omnibus aliquid meritò addendum de Eloquentia: cujus maximum est ad animos hominum movendos, ut vitia fugiant amplectanturque virtutem, momentum. ut enim testatur eloquentiæ princeps Tullius, tantam vim habet omnium regina rerum oratio, ut non solùm inclinantem erigat, stantem inclinet; sed etiam adversantem & repugnantem, quò velit, inducat; deducat, unde velit. Quæ verò Ars eloquendi præcepta tradit, idest dicendi ornatè, graviter & copiosè, dicitur Rhetorica: quam Zeno olim diductæ explicitæq; manui solebat comparare; sicuti Dialecticam manui in pugnum compressæ. Unde differt ab Oratore Rhetor: quòd Rhetor artem doceat elocutionis; Orator verò plena & perfecta utatur eloquentia: qui suum tunc finem assecutus existimatur, cùm auditores docuerit, delectaverit atq; moverit. Tria nanque hæc sunt boni Oratoris munera: quem nunquam Oratoris nomine dignum censeas, nisi cum eloquentia vitę etiam probitatem conjunxerit: quocunque tandem dicendi genere utatur, sive demonstrativo per laudem & vituperationem; sive deliberativo per suasionem & dissuasionem; sive judiciario per defensionem & accusationem. Ex quibus omnibus patet, quàm lata indefinitaque sit Rhetoricę ma-

materia: quùm nihil prorſus eſſe poſſit, quòd ſub orationem non cadat. Veruntamen quæſtio omnis ad theſim & hypotheſim reducitur; omniſque oratio quinque ferè partibus conſtat: inventione, diſpoſitione, elocutione, memoria, & pronunciatione ſive actione: ſine quibus quùm nequeat Ars Oratoria ſubſiſtere; primas nihilominus partes actioni tribuebat non immeritò Demoſthenes, quæ, ut Tullius ait, una in dicendo dominatur.

## EX LIBRO DE POËTICA.

CLXXI. Accedit Ars Poetica, in qua plurimùm valet natura: ut ipſe fatetur melior Orator quàm Poeta Tullius. Hæc, quæ, ut humanarum actionum imitatione delectaret ſimul atque inſtrueret, inventa eſt; à verſibus faciendis propriè dicitur, non à fabulis: quanvis ſi ſimplicem nudamq; hiſtoriam proſequatur Poeta, neq; pulcherrimo concatenatarum invicem fabularum commento veritatem adumbret; Muſarum ferè omnem gratiam amiſſurum ſit Poema. Qua de cauſſa aliquibus Lucanus hiſtoricus potiùs viſus eſt quàm poeta: qui tamen multa veris admiſcet figmenta. Sic autem à magno Scaligero definitur Poetice: habitus ex diſpoſitione præceptionum, quibus docemur ad conformationem hanc, quã Poeſin appellamus. Etſi verò multa recenſeri poſſint Poematum genera; ad tria tamẽ hæc potiſſimùm reducuntur; nempe ad Drà-



Digitized by Google

maticum, sub quo pastoralia, antiquissimum carminis genus, comœdiæ & tragœdiæ aliaque hujusmodi continentur: Dityrambicum, sub quo minutiora poemata, in quibus solus Poeta plerunque loquitur: ut Hymenæi, Lusus, Monodia, Odæ, Cantiones, Epigrammata, Elegiæ, Hymni, Pęanes: quorũ omnium fortasse difficillimum simul est & jucundissimum Epigramma. Et tandem Epicum, ceterorum generum latissimum maximèque commune, in quo & Poeta narrat & alios colloquentes inducit. Et quia istocce Epicorum carminum genere pręclara ferè Heroum gesta describuntur: minùs à nobis probantur, qui, ut fabularum novarum inventioni plus æquo indulgeant, alieno sæpè sunt honori injurii: ut Virgilius, qui Didoni, feminæ castissimæ, æternam inussit impudicitię labem. Sicut etiam damnantur plurimi nostrum temporum poetę, qui amatoriis versibus atq; historiis ad pravas voluptates animos emolliunt, cum magno Christianæ Reipubl. detrimento.

CLXXII. Quoniam verò Heroicum carmen hexametro ferè versu constat; opportunè adnotandum occurrit, quod, vulgo non satis notum, benè advertit S. Augustinus de Musica libro tertio capite secundo, hoc interesse discriminis inter metrum & versum: quòd metrum, nullum, circa medium, certum habet divisionis articulum, aut membrum orationis, sicuti versus. Jubet autem S. Augustinus nos attendere Virgilianum illud:

*Arma virumque cano.* *Et ne longum faciamus*, inquit, *quia carmen notissimum est; ab hoc versu usque ad quem volueris, explora singulos: invenies finitam partem orationis in quinto semipede, idest, in duobus pedibus & semisse. Nam hi versus constant pedibus quaternorum temporũ. Quare iste finis, de quo agitur, partis orationis quasi legitimus in decimo tempore est.* At nos explorantes statim à principio invenimus finitam orationis partem non in quinto, sed in septimo semipede Virgiliani versus: *Quidve dolens, Regina Deum, tot volvere casus.* Verùm non intereſt, utrum prior aut posterior sit divisio semipedum quinque. Sicuti innuere videtur Augustinus L. 5. c. 3. Nàm & in versu allato secundum ejus membrum quinque semipedibus absolvitur. Unde sufficit ad heroicum versum, quòd illum quinque & septem semipedes in duo membra partiantur, nulla hujusce ordinis ratione habita. Videndus idem Augustinus lib. 5. c. 3. & 5. ubi ostendit, quomodo hexameter versus metiendns sit, non vulgari scilicet illa temporum nostrorum in Scholis consuetudine: ne posterius membrum pleno pede finiatur; quùm semipes debeatur fini.

CLXXIII. Hic etiam obiter corrigendus est nobis S. Augustini locus ex l. 5. c. 9. hactenus in omnibus, quas vidimus, editionibus depravatus: quem nos primi, nisi fallimur, emendamus. Nàm in primo exemplo: *Roma, Roma, cerne, quanta sit Deum benignitas.* malè & librariorum errore, bis repetitur *Ro-*

 *ma.*

*ma*. quomodo in posteriori certè exemplo repetenda est: quùm primus hic versus tredecim tantùm semipedibùs, non quindecim, sicut alter, constare debeat, sex numeratis in primo membro, septem in altero.

## EX PROBLEMATIS.

CLXXIV. QUandoquidem verò ea est vulgi opinio, neminem unquàm, absq; insano quodam furoris motu, aut propitias habere Musas, aut poetam magnũ esse posse, notante etiam Aristotele Maracũ Syracusanum poetam præstantiorem fuisse, dùm mente alienaretur: ut è pluribus curiosisq; Aristotelicis Problematis, quæ in octo & triginta distributa sunt sectiones, unum ad rem nostram accomodatissimum seligamus; quæri hic potest: quęnam ad Poeticã, Rhetoricam aliasq; Liberales Disciplinas & Scientias addiscendas aptior sit complexio. Quùm enim inveniri vix queat temperamentum uniforme ex primarum qualitatum æqualitate, sed una ex iis qualitatibus maximè in humano corpore dominetur, ceteris ad remissiorem statum redactis: quatuor sunt, ex quadruplici illarum qualitatum commoderatione, temperamentorum genera: melancholicum, siccum & frigidum, terrę, ætati virili atque autumno respondens: phlegmaticum, frigidum & humidum, aquę, senectuti hyemiq; persimile: sanguineum, humidum & calidum, aeri, adolescentiæ, verique

rique consonum: & tandèm biliosum, calidum & siccum, quod igni, juventuti atque ætati comparaveris. Quibus omnibus complexionibus suæ adsunt virtutes & vitia.

CLXXV. Licet autem, si impermixtę & simplices spectentur; longè præstet sanguinea, ingenii promptitudinem indicante carnis mollitie: nos tamen ad ingenii perspicaciam, animi magnitudinem, atq; heroica quæque facinora maximè conducere existimamus eam, quæ ex melancholia simul & bile adurente coalescit, complexionem; ac proinde reliquis omnibus, veluti Heroum propriam, anteponimus. Qua eadem de caussa Protoparenti Adamo, hominum perfectissimo, illam in felicissimo illo originariæ innocentiæ statu tribuimus: sublatis iis, quæ melancholicam crasin in aliis, depravata per originis vitium natura, hominibus concomitantur, fœditatibus. Neq; enim innocētissimus tunc temporis Adam ullum titillantis veneris motum sensit unquàm: quùm tamen melancholia soleat, utpote spumosa & flatulenta, magno esse ad res venereas excitamento, ut Magnorum quoque Virorum experientia docuit. Ceterùm heroicam complexionis istiusce excellentiam luculenta ostendunt exempla eorum omnium, qui ingenio, vel armis, vel Rerumpubl. administratione, vel Poesi, vel quacunq; alia arte claruere. Siquidem ii omnes, ut Aristoteles observat, melancholici fuere: ut Hercules, Lysander, & qui ab Homero celebrantur



Digitized by Google

tur, fortissimi Heroes, Ajax & Bellerophon. Itèm Empedocles, Socrates, Plato, aliique superioris nostræque ætatis complures.

## EX LIBRIS METAPHYSICORUM.

CLXXVI. SI qua tamen facultas optimè constitutam exigit complexionis temperiem: ea profecto est Metaphysica, scientia omnium aliarum princeps atq; altissima & universalissima. Non enim, sicut aliæ Scientiæ, certo aliquo & peculiari rerum genere constringitur: sed ubique diffusa respicit ut proprium objectum, communissimam entis, ut ens est, rationem: adeòque considerationem ipsa suam supra omnem materiam sive singularem, sive sensibilem, sive intelligibilem, longiùs elevat. Et non tantùm circa ens, quod omnia ambitu suo comprehendit, communiaq; entis attributa, generatim versatur; sed circa eas omnes, quæ sunt à materiæ consortio separatæ, substantias. cujusmodi est Deus, Angeli atq; anima rationalis. Unde jure optimo Primæ Philosophiæ nuncupationē promeruit, Theologięq; naturalis: quòd immobilia, æterna & divina per altissimas caussas contempletur; ceterarumque Scientiarum principia ad suum revocet examen. In duas etiam dividi potest partes, quarum una Ontologia dicitur; alia Metaphysica peculiaris & Theologica.

CLXXVII. Est ergò tota purè Theoretica

tica & princeps Sapientia: quia tota in rerum altissimarum cognitione occupatur: sive eæ sint substantiæ, sive accidentia, sive Creator sive creatura. At verò ad Ens rationis Metaphysicæ cura extenditur, veluti ad quandam proprii objecti, entis nempè realis, adumbrationem. Ens nanq; rationis non aliquid est in rerum natura; sed per apprehensionem intellectus gignitur, cui obiicitur ad modum entis: dùm id, quod revera non est, tanquam si aliquid esset, conamur percipere. Quare sicuti in apprehensione rationis totum consistit; ita nulla alia potest illud facultas efformare, præter intellectum, qui solus entis rationem apprehendit, sensibus externis, internis, voluntatiq; prorsùs ignotam. Immò quia ex cognitionis imperfectione oritur commentitius hic partus; Deus autem perfectissimè omnia eo modo, quo sunt, intelligit, cujus cognoscere est facere: ideò ab humano quidem intellectu, sive etiàm interdum Angelico, conficitur ens rationis; veruntamen menti nequit Divinæ adscribi: quanvis quę à nostro intellectu finguntur, omnia cognoscat Deus: sivè temerè à nobis excogitentur: sive fundamentum, cur ita excogitentur, res ipsæ suppeditent. Unde orta est divisio entis rationis in ens rationis ratiocinãtis, & ens rationis ratiocinatę.

CLXXVIII. Quùm itaq; nihil sit ente communius, quod omnia, eaque diversissima, rerum genera continet, atq; intimè transcendit; certè in sua generalissima ratione non

unum conceptum includit ſynonimum, quo æquè inferiora reſpiciat. Analogiam enim tantùm habent, quę à ſe ipſis in ratione entis differunt quęcunq; entia, atq; in proportione tantùm & ſimilitudine conveniunt. Quarè non univocè dicitur Ens de ſubſtantia & accidente, quibus, ut patet, non eadem competit entis ratio: & multo minùs de Deo & creaturis. Deus enim longè alio ſubſiſtit modo ac creatura: quùm, ut argumentatur S. Auguſtinus, non eſset in Deo nomen ipſum eſſe, niſi quidquid aliud eſt, ei comparatum, inveniretur non eſſe verè. Siquidem Deus eſt ipſum eſſe, quia per eſſentiam exiſtit, ab exiſtentia omninò indiſtinctam. At in creaturis, in quibus actus ſua nunquam deſtituitur potentia, exiſtentia & eſsentia reipſa diſtinguuntur, tanquam actus & potentia; vel id quod recipitur, à recipiente. eſt enim eſſentia, id, quo res in certa ſpecie conſtituitur: exiſtentia verò, ipſe eſſentiæ actus.

CLXXIX. Hęc igitur duo ſunt entis creati principia, eſſentia atq; exiſtentia; ſive, ut generaliùs ea aſſignentur, actus & potentia, ad quę alia reducuntur: ut genus & differentia; eſſentia & exiſtentia; natura & ſubſiſtentia: ita ut quidquid eſt perfectionis, ab actu; & quidquid imperfectionis, à potentia oriatur. Unde ortum habuit axioma illud: eatenus aliquid perfectum eſſe, quatenus eſt in actu; imperfectum verò, quatenus in potentia. Hęc tamen imperfectio de potentia duntaxat paſſiva intelligitur, quę vel ſubje-

cti-

ctiva est & objectiva; vel naturalis & obedientialis. Objectiva autem potentia, quæ planiùs rei possibilitas nuncupatur, ex eo primariò atq; absolutè desumitur, quòd nullam habet repugnantiam, ut sit; secundariò verò & per quendam veluti ad primam caussam respectum, ab Omnipotentia Divina. Verùm quia creaturę non tantùm per insitã sibi virtutem naturales effectus producere possunt; sed etiam à Deo evehi ad actum supra omnes naturę vires; idcircò inest illis potentia, ut eam Theologi vocant, obedientialis passiva, ut Deus de illis supra naturę leges ex arbitrio agat; non activa tamen ad opera supernaturalia, absque intrinsecę virtutis additamento.

CLXXX. Sicuti autem Primum Cognitũ dicitur ens, quia primum cognitioni obiicitur: ita quædam sunt firmissima, certissima & notissima cognitionis principia, quę in alterius notitiam ducunt, sive incomplexa, quæ simplici apprehensione percipiuntur; sive complexa, quę judicio: & axiomata appellari solent. Quorum omnium complexorum primum, ad quod cetera alia revocantur omnia, illud ab Aristotele statuitur: fieri non potest, idem simul esse & non esse. Quemadmodum etiam physica in creaturis invenitur inter essentiam atq; existentiam distinctio; ita admittenda est inter naturã & subsistentiam, propriam substantię perfectionẽ: per quam suppositum constituitur, sive persona; atque ita completur natura, ut sui ju-

ris facta, alieno non indigeat sustentaculo, sive ut sit, sive ut operetur.

CLXXXI. Quòd si spectetur ens quoad se ipsum, quoad intellectum & voluntatem: ecce tres, quae enti attribuuntur, transcendentes proprietates: scilicet, unitas, veritas & bonitas. Omne enim ens, unum, verum & bonum est. Unum quidem: quia non divisum in se, & à quolibet alio divisum. Unde quùm res vel genere, vel specie, vel numero dividantur; triplex assignatur unitas, generica, specifica & numerica. Porrò in substantiis unitas purè numerica, seu individuorum sub qualibet specie multiplicatio, ortum habet à materia, ut quantitatem connotante; in accidentibus verò à subjecto, quatenus, vi Agentis, accidens ipsum recipit. Sed quia in qualibet re, quantumvis una atque simplici, intellectus noster longè imbecillior, quàm ut possit omnia uno simul intuitu comprehendere; varios distinguit gradus metaphysicos, superiores & inferiores, quorum unus non videtur formaliter constitui per alium: non idcircò admitti inter eos gradus debet, veluti prorsùs superflua, distinctio, quam actualem formalem ex natura rei appellant. Enim vero sola sufficit virtualis, fundamentum potiùs distinctionis quàm distinctio: quae nihil est aliud, quàm unius ejusdemque rei eminentia, pluribus perfectionibus aequivalentis. Has igitur perfectiones, à parte rei formaliter indistinctas, dùm noster intellectus variis conceptibus attingit;

ori-

Digitized by Google

oritur actualis formalisque distinctio conceptuum, ut vocant, objectorum in esse repræsentati: atque idcircò gradus metaphysici, beneficio intellectus, formaliter; re ipsa virtualiter distinguuntur.

CLXXXII. Altera est entis proprietas, veritas transcendentalis sive objectiva, quæ ipsa est rei conformitas cum intellectu, præcipuè divino. Ab intellectu nanque divino habent res veritatem, cujus proinde veritas prior est veritate rerum: quùm econtrà à veritate rerum, tanquàm à prævia quadam mensura, suam desumat veritatem intellectus humanus. Hęc autem cognitionis veritas, per quam intellectus cum re cognita adęquatur, formalis dici solet; proprièq; sive formaliter non in simplici apprehensione consistit; sed in judicio, quod veritatē ipsam exprimit atq; enunciat. Ita etiam in judicio invenitur formalis falsitas, sive rei & intellectus difformitas: dùm à rebus ipsis humana mens deficit, existimando aliter se habere eàs, ac revera se habeant.

CLXXXIII. Verùm ut in tanta rerum obscuritate ab errore longiùs, quàm fieri potest, absit intellectus, efficiunt quinque dianoetici habitus sive virtutes; quę ideò intellectuales dicuntur, quòd mentem perficiant circa rectam certamq; cognitionem veritatis: scilicet Intelligentia, Sapientia, Scientia, Prudentia & Ars. Vel enim veritas per se ipsam innotescit; vel ex aliis per se notis deducitur principiis: & vel sola speculatione circum-

ſcribitur; vel ad alias refertur facultates dirigendas. Itaq; Intelligentia, habitus eſt primorum principiorum, quo principia per ſe nota, ſive axiomata indemonſtrabilia, firmiſſimè percipiuntur. Sapientia & Scientia in eo conveniunt; quòd utraq; certò & evidenter res per cauſſas cognoſcat: differunt tamen, quòd Sapientia ex altiſſimis principiis; Scientia ex particularibus, concluſiones deducant ſuas. Ars deniq; (ſuperiùs eſt enim explicata Prudentia) habitus eſt cum vera ratione conjunctus, atq; ad efficiendum aliquid comparatus. Nullę alię videntur, pręter iſtas quinque, inter naturales intellectus virtutes adnumerandæ.

CLXXXIV. Quantùm verò ſpectat ad ſapientiam, ſive ſcientiam, qua neceſſaria atq; æterna conſiderantur; eam fruſtrà olim, & non ſine ſcientiæ argumento, negarunt Academici novi: quãdo jam plura certò atq; evidenter ex certis & evidentibus cauſſis inferuntur. Immò quia ſubalternatione quadam ita plures inter ſe connectuntur ſcientię, ut inferior ſcientia lumine ſuperioris innitatur, à qua principia ſua deſumit, inde exordiens, ubi alia deſinit: licet ſubalternante ſcientia, quę perſpecta atq; evidentia habet principia, aliquis careat; ſubalternata nihilominus rationem ſcientiæ non amittit; quanvis in ſtatu imperfecto: quòd ſuorum principiorum evidentia à ſubalternante dependeat. Ita autem conſtituuntur ac diſtinguuntur ſcientiæ, ut quælibet una ſim-

plexq; sit, licet ad diversas, intra objecti sui sphœram, conclusiones se extendat; quia eas omnes sub unica respicit ratione formali: discernatur verò ab aliis per abstractionis à materia, & principiorum diversitatem. Nàm ex diverso abstractionis supra materiã gradu generica oritur scientiarum distinctio: & ex principiorum, quę usq; ad ultimam resolutionem in primũ principiũ connectuntur, unitate unitas scientię specifica derivatur.

CLXXXV. Quoniam igitur hęc duo exigit scientia, ut certò simul atque evidenter res cognoscat: profectò nequeunt cum scientia de eadem re habitus dubii atque obscuri conciliari. Unde quia Divina Fides argumentum est non apparentium; & opinio, formidolosus est, quem uni parti prętamus dubii de veritate, assensus: nequit simul idẽ intellectus scire quod credit; & opinari quod scit. Equidem habitus Divinæ Fidei non adeò cognitioni certæ atq; evidenti adversatur, ut nequeat actum scientificum aliquando compati; dummodo in actiones ipse suas habitus hujusmodi non prorumpat. Verumtamen fieri nunquam potest, ut cum actu Fidei sive opinionis actus scientiæ conjungatur simul. Siquidem de eadem re nequit simul intellectus certus esse & incertus; vel videre & non videre. Quid est enim fides, juxta Augustini definitionem, nisi credere quod non vides?

CLXXXVI. Quòd si per scientiã omnia non tantùm nobis certa fiunt; verùm etiam

evidentia: mirandum non eſt, ſi, quod ait Ariſtoteles, omnes homines natura ſcire deſiderant. Nihil eſt enim inter naturalia omnia bona melius ſapientia: cujus proinde amorem hominibus ipſa indidit Natura. Quùm verò bonitas illa ſit, quam omnia appetunt: maximum procul dubio bonum eſt, quod ab omnibus iis, qui mente pollent atq; uſu rationis, maximè appetitur. Qua de cauſſa quidquid unquā eſt, bonitatem etiam habet, tertiam entis tranſcendentem proprietatem: quatenus ſcilicet voluntati conformatur; ac præcipuè Divinæ, quæ prima eſt omnium aliarum voluntatum bonitatúq; regula. Eſt ergo bonum ens, quatenus appetibile, ſive utilitatis, ſive honeſtatis, ſive delectationis cauſſa. Unde triplex bonum, utile, honeſtum & delectabile. Quodcunq; verò hujuſmodi eſt, ut appetatur; aut exiſtit aut ad exiſtentiam refertur: quia per bonum perficitur appetitus; appetitus autem non perficitur niſi à rebus quæ poſſideantur. Unde poſſibilia, ut poſſibilia, non ſunt bona.

CLXXXVII. Hæc & alia ejuſce generis plura de communibus entis attributis docet ea Metaphyſicæ pars, quæ Ontologia dicitur; & quam uberrimè complexus eſt Ariſtoteles. Supereſt alia Theologiæ Naturalis pars, de Deo & ſubſtantiis ſeparatis: de qua ut pauciſſima timidè nimis & modeſtè diſſerat Philoſophus, cui propoſitum eſt, omnia ſive naturalia ſive Divina ad humanæ rationis trutinam librare; ea tamen eſt totius Meta-

ta-

taphyſicæ complementum & ſumma perfectio. Etenim, ut auctor eſt idem Ariſtoteles, illò, veluti ad proprium finem, collimat Metaphyſica ſcientia, ut præter ſenſibiles æternam aliquam immutabilemque ſubſtantiam explorandò inveniat. Atque idcircò ſtudia omnia ſua eò deſtinarunt celeberrimi Philoſophi, ut ex rebus, quæ ſub ſenſum cadunt, in ſimplicis illius puræq; ſubſtantię notitiam devenirent: quaſi in ejus cognitione totius ſapientiæ metam aſſequerentur, ampliſſimoſq; perciperent laborum ſuorum fructus.

CLXXXVIII. In primis igitur, quòd anima rationalis, ſpiritualis ſit atq; immortalis, ideòq; poſt hominis mortem corpori ſuo ſuperſtes vivat; jam dictum eſt ſuperiùs: ubi animam corpori conjunctam conſideravimus. Ceterùm poſtquam à corpore fuerit avulſa, veluti à quibuſdam, quibus opprimebatur, erepta vinculis, nihil jam per ſenſus percipit; adeòque ſenſitivis facultatibus, quarum ipſa tamen eſt radix, formaliter caret: ſed ſpirituales potentias nullis obnubilatas tenebris, intellectum & voluntatem, individuos habet comites, quibus ſpirituale bonum cognoſcat & velit. Ut autem intelligat; retinet quidem ſcientias, alioſq; habitus rerumque ſpecies, quas in hac mortali vita, ſenſuũ miniſterio, comparaverat: verumtamen, ad illarum complementum, alias à Deo infuſas recipit, quarum virtute & præterita ſuę vitæ acta recolit, & Angelos intelligit; & quidquid Deus illi cognitum perſpectumq; eſſe voluerit.

De-

CLXXXIX. Deinde medii inter Deum & animam rationalem intercedunt Angeli, qui non solùm cujusq; corporis & materiæ sunt expertes; sed à materiæ quoq; consortio adeò natura ipsa abhorrent, ut neq; divinitùs possint formæ illæ puræ & simplices materiam informare, veluti actus potentiam. Unde, quia multiplicationis & corruptionis principio, materia carent; & nulli subjacent corruptioni, & specie ita distinguuntur, ut licet multitudine innumeri, nunquam tamen duo ejusdem speciei creari à Deo possint. Attamen nihil inde impedimenti oritur, quominus corpora aerea assumant, eumque illis impertiant motum, suæ impressione virtutis, ut veluti viva quædam simulacra, opera vitæ exercere videantur. Præsunt enim corporibus incorporeæ substantiæ, tanquàm assumpti à Deo ad Mundi gubernationem ministri; adeò ut non immeritò ex cælestibus motibus certum Aristoteles desumpserit argumentum, ut in Intelligentiarum moventium agnitionem assurgeret; statueretq; tot eas adnumerãdas, quot recensentur Spherarum planetarumque lationes. Quanquàm & aliæ non desunt rationes, quibus nobilissimę illę totius Universi partes demonstrentur: sed maxima tamen Angelorum perfectio ex intelligendi perfectione innotescit. Neq; enim, ut intelligant, species à sensibus emendicant; sicuti homines: sed in speciebus à Deo infusis totã Naturã, Naturæq; ordinem perfectissimè, absq; ulla ratiocinatione, agnoscunt:

ſcunt : & quod quiſq; cogitaverit, ut rectam ſocietatem decet, commune alteri facit, arcanam ſuam conceptionem ad alium ex voluntatis arbitrio dirigens.

CXC. Verùm fruſtrà hæc nobis omnia, adeò à ſenſibus remota, innoteſcerent, niſi naturalis ratio ſufficeret ad explorandum demonſtrandumque ſupremum, quo omnia creata ſunt & gubernantur, Numen. Quapropter nulla dignamur excuſatione immanem Atheorum impietatem, qui, ut liberiùs, nulloq; ſupplicii metu, vitiis indulgeant; negare audent quem judicem formidant. Sed nequicquam humana ſibi blanditur malitia: quia nihil eſt unquam, quod magis ultro ſeſe omnium mentibus ingerat, quàm Dei notitia, quæ proindè eleganter à Tullio anticipatio naturæ appellatur. Unde, ut notat Plutarchus, etſi peregrinantibus multa occurrant nova, inſolitiq; pro gentium diverſitate mores; nunquàm tamen hominum ſocietas, cui nullus ſit Deus, nullusque cultus pietatis. Enim verò natura ipſa certa atque evidentia ſuppeditat nobis argumenta, quibus naturæ auctor Deus procul omni dubitatione demonſtretur. Et ſi nulla alia adeſſet ratio; hęc profectò non levioris momenti in Divinitatis teſtimonium videretur: quòd Deus ab iis, qui ignorare eum volunt & nequeunt, non poſſit negando auferri, niſi poſtquàm cum humanitate virtutem exuerint omnem. Sed maximum tamen robur ea habent argumenta, quæ, initio ſummæ Theo-

lo-

logicę, affert S.Thomas, desumpta ex ratione primi Motoris immobilis, primæ caussæ, entis necessarii, substantiæ perfectissimæ,& supremi gubernatoris.

CXCI. Itaq; tribui, ut omnis natura clamat, Deo debet quidquid unquā est vel concipi potest perfectionis: ita ut à se ipso & per se ipsum perfectissimè subsistat, actus purissimus, sine ullo potentię aut materię consortio; adeòq; unus atq; infinitus, immutabilis, æternus, spiritualis, omnipotens, summè bonus & beatus, immensus, ubiq; præsens, animis nostris intimè illapsus, intellectu præditus, quo omnia quantunvis minima, quæ in terris aguntur, cognoscit: etsi hanc ei cognitionem, veluti non satis Divina Majestate dignam, impiè cum Epicuręis deneget Aristoteles. Voluntate etiam præditus est Deus perfectissima, summèq; libera, per quam liberrimè omnia, quæ condidit, movet, quantùm vult, non quantùm potest, nec ex necessitate naturæ: ut stolidè censuit Aristoteles. Porrò quùm sibi solus sufficeret, omnia in tempore ex nihilo condidit: ut ipse bonus bonitatem aliis largiretur rebus: indèq; ut animos nostros ad perfectionum suarum contemplationem excitaret, tot distinxit rerum genera & species, tantoq; ordine, ut omnis Philosophia fateatur, opus Naturæ opus esse supremæ Intelligentiæ. Ea verò creandi virtus ita uni competit Deo, ut fieri nequaquam possit, ut creatura, innata sibi virtute, aliquid creet; aut tanquàm verum instrumentum ad cre-

Digitized by Google

creandum adhibeatur. Ex quarum omnium perfectionum collectione conflari una potest Dei definitio: si explicari tamen definiendo potest, qui, ut Mystici experiuntur, meliùs scitur nesciendo.

CXCII. Sed inter eas omnes perfectiones maximè hæc elucescit, quòd ipse moveat omnia immotus. Etenim non tantùm Deus, ut existimavit Durandus, caussis secundis vim agendi contulit, ac perpetuò conservat; verùm etiam jugiter movendo influit inspirat q; efficientiam; atq; ad omnes & singulas illarum actiones ut prima caussa concurrit. Verùm de modo, quo movet, maxima est inter Philosophos controversia: quùm doctissimi nostrorum temporum viri velint, non à Deo per physicam intimamque virtutem ad motum caussas secundas impelli; sed prestari auxilium duntaxat simultaneū, quo caussæ jam, ex se ipsa determinatæ ad agendum, cooperetur: ita ut totus effectus & à Deo sit & à caussis secundis: sed neq; à Deo, neq; à caussis secundis, ut à tota caussa, sed ut à parte caussæ, quæ simul exigit concursum & influxum alterius. non secus ac cum duo trahunt navim; totus motus proficiscitur ab unoquoque eorum.

CXCIII. Nos tamen tutiori adhærentes S. Thomæ sententiæ, & motiones morales admittimus, quibus caussæ liberę excitentur, & simultaneum concursum, qui adjuvet: non dependēter tamen à caussa secunda. Sed preterea docemus, non solùm posse à Deo caus-



Digitized by Google

ſas tum neceſſarias tùm liberas, prævia quadã & phyſica motione, ad actionem ineluctabiliter applicari : ſed reipſa quoq; per efficaciſſimam atq: omnipotentem virtutem ita præmoveri, ut quanvis cauſſarum ſecundarum efficientiam non impediat; præveniat tamē: & licet efficaciſſimè, ſine ulloq; fruſtrationis metu, invincibilis illa motio impellat; nullo tamen ex capite humanæ lædat voluntatis libertatem. Qui enim dedit homini voluntatem libertatemq; dat etiam homini, ut liberè velit id, quod liberum vult Deus, humanam perficiens, non auferens libertatem: quia voluntas adhuc præmota, domina eſt ſuarum actionum; poteſtque, ſi velit, divinæ motioni reſiſtere, licet nunquam reſtitura. Atq; ita ſanè exigit dependentia cauſſæ ſecundæ à prima; atq; ejuſdem cauſſæ ſecundæ indifferentia & indeterminatio: adeòque niſi ex otioſa reddatur per divinam præmotionem efficax; nullus omninò neceſſe eſt ſequatur motus: ut veteres etiam primæ notæ philoſophi tradiderunt. Profectò nihil magis eſt liberum, quàm quod dimanat à primo fonte libertatis.

CXCIV. Neq; ſanctitati divinæ prædeterminationis officit plurium humanarũ actionum malitia, ad quas præmovet Deus: ſicuti neq; ſol inquinatur à cœno, quod illuſtrat. Siquidem motionem ſuam cauſſis omnibus, ut propria cujuſque illarum natura poſtulat, rectè diſpenſat Deus, qui auctor nequit eſſe illius, cujus eſt ultor. Quòd autem cauſſæ libe-

Digitized by Google

liberæ à regulis honestatis deficiant; totum id in pravam illarum dispositionem refundendum est, non in divinum influxum, qui benè semper movet; & quantum est ex parte sui, ad bonum: nisi ex sua pravitate ad malum deflectat voluntas. quemadmodum quòd distortis pedibus homo obliquè moveatur, non est ab anima, sed à tibiarum ipsarum curvitate. Unde nec ad peccatum impellit Deus, nec peccato, ut quidam dicere audent, cooperatur: ita ut quidquid unquam est malitiæ, nobis; quidquid bonitatis, acceptum referri debeat Deo, quem ideò cognoscimus, ut amemus.

## EX LIBRIS DE PLANTIS.

CXCV. Ecce tandem, postquàm per quandam rerum creatarum veluti schalam pervenimus, Natura duce, ad summi Conditoris agnitionem; absoluta videbatur tota Peripatetica Philosophia. Nàm Aristotelis revera non sunt, Aristoteli adscripti, libri duo de Plantis; & 14. libri de secretiori parte Divinæ Sapientiæ secundùm Ægyptios, qui Platonicam ferè redolent sapientiam. Verùm quia omissa est à nobis superiùs amœnissima Physicæ scientię pars, Phytologia; aliquid hoc loco brevissimè addendum de plantis, quæ non ornamento modò sunt terris; verùm etiam summo animantibus adjumento. Nanq; præter miram voluptatem, quam amœnitate sua homini creant, alimentum animalibus subministrant, medica-

Digitized by Google

camentum, domicilium, papyrum, ignem, potum, vestes atque arma; innumerisq; aliis mortalis vitę usibus deserviunt: quùm & ex ipsis venenatis plantis plures redundent utilitates. Ut non immeritò olim Persæ à primis annis in pernoscendis herbarum viribus, quæ ad miraculum in plerisque propiùs accedunt, maximè insudarint.

CXCVI. Igitur universim describitur planta: corpus physicũ, perfectè mixtum ex quatuor elementis; maximèq; ex terra & aqua, vita duntaxat vegetali prẹditum. Neq; enim inanime aliquid censenda est planta cum Stoicis, quibus vita sensu ac cognitione definiri visa est: sed verè vivit, propriaq; vitæ munera exercet: non quidem quòd aliquo polleat hebetiori sensu atq; appetitu in animalium morem, quemadmodum Empedocles atq; Anaxagoras existimarunt; aut communem cum hominibus animam rationalẽ mentemq; habeat, sicuti rusticana deliravit Manichæorum impietas, quibus herbarum arborumq; detruncatio homicidii nota non caruit: sed quòd vera fruatur anima vegetali, qua ab interno innatoq; principio sese movent per nutritionem, accretionem & generationem. Hæc verò propria sunt viventis cujusq; officia. Unde benè dixit aliquis: animari quędam quæ non sunt animalia.

CXCVII. Itaq; aluntur plantæ humore purioriq; succo, quem vi sua per radicem è terris exsugunt, distribuuntq; per truncum, ramos, totumque latè corpus; & nativo ca-
lo-

Digitized by Google

lore concoquunt: adjuvante etiam hujusmodi attractionem digestionemq; externo calore Solis, quo fit, ut vere atq; æstate arbores germinent; foliaq; & fructus ubertim proferant. Quare radix in arboribus ori animalium respondet, non, ut putavit Cardanus, ventri. Quòd si alimenti copia redundaverit; ex superioribus partibus remigrans, pullulat in stolones. Hinc etiam, ex continuo alimentaris succi augmento, in enormẽ plantæ quędam succrescunt magnitudinẽ; adeòq; mirabilem, ut ficus Indica referatur vastitate sua opacam sylvam gignere, continua usque ad unius milliaris ambitum stolonum propagatione. Atq; hujusce quidem insignis accretionis caussa est, ipsa vegetabilis vitæ conditio, quę uni addicta vegetationi, non pluribus distrahitur, ut anima sensitiva, in sensuũ ministerium, officiis. Porrò admirationem excitat plantarum propagatio: sive ab arte, sive à natura proficiscatur. Natura siquidem proveniunt plantę: aut spontanea terrę fœcũditate, aut semine, aut radicũ pullulatione. Arte verò propagãtur: sive avulsione & transplantatione stolonum & surculorũ; sive insitione, qua nihil invenit agricultura solertius, mutatis veluti in aliam naturam arboribus.

CXCVIII. Quemadmodum verò animalia partibus homogeneis heterogeneisq; constant; ita & plantæ, quarum partes homogeneę, & veluti plantarum elementa, hę habentur; humor, nervus, vena & caro: heterogeneæ autem aut perpetuæ perennesque sunt; aut annuæ & caducæ. Inter perpetuas hæ

re-

Digitized by Google

recenſentur; radix, caudex, matrix ſeù medulla, ramus & cortex: inter caducas verò, folium, flos & fructus. Verùm non omnibus omnes hæ partes inſunt plantis: ſed alię aliis; paucioreſque, quò imperfectiores ſunt plantæ. Neq; enim una eademq; eſt plantarum perfectio: ſed dividi generatim poſſunt in perfectas & imperfectas: itaut perfecta ſit planta, quæ radice conſtat, & ſuperficie, ut vocant Phytologi; imperfecta verò, quæ alterutra deſtituitur, aut imperfectam utramlibet habet: ut, lepra terræ, tubera, quæ tota ſunt radix; aut fungi, epithymum, aliaque hujuſce generis. At perfectę plantę tria veluti aſſignantur genera: arbor, frutex atque herba: ſub quorum ſingulis longè plures tùm urbanarum tùm ſylveſtrium plantarum ſpecies comprehenduntur.

CXCIX. Ex hac etiam plantarum diverſitate varia oriuntur brevioris diuturnioriſq; vitæ diſcrimina. Nàm quæ calore conſtant robuſtiori, & pingui humore, lento, tenaci atq; oleaginoſo, utroq; ſimul contemperato; ex perenniùs vivunt: quùm econtrà brevioris ſint vitæ illæ plantæ, quibus ſuccus aqueus facilè exſiccatur diſſipaturque. Hinc longiori fruuntur vita, atq; ad plura etiam aliquæ ſecula perennant, olea, lotos, platanus, quercus, ulmus, pinus, buxus, cupreſſus, ebenus, & celebre immortalitatis ſymbolum, cedrus: quia ſolidiori compactioriq; ſubſtantia, quam non facilè abſumat calor, longa experiuntur incrementa. Punicis verò, ficis, malis, myrtis, ſalicibus, prunis, perſiciſq;

aliiſ-

Digitized by Google

aliisq; delicatioribus plantis, quæ citiùs adolescunt, fructumq; ferunt uberiorem; ex celeri innati humoris dissipatione brevis est vita; longèq; brevior eadem de caussa herbis, quæ ferè omnes ad annum, paucæ ad triennium durant: quia scilicet, arefacto aqueo dilutoq: humore, emoriantur necesse est. Ita quidem naturali moriendi lege intereunt plantæ. Sed & violenter sæpè extinguuntur per decacuminationem, & decorticationem, variaq; ægritudinũ, quibus ipsę corripiuntur, genera: ut per sphacelismũ, syderationẽ, extinctionem, tabem, aliaque symptomata.

## EX FRAGMENTO LIBRI DE NOBILIT.

CC. ET de Philosophia quidem hactenus: cujus ea est dignitas, ut nobilitatẽ iis omnibus contulerit, qui sapientiæ studio suprà vulgus eminuerunt. Licet enim per nobilitatem, generis virtus sive claritas intelligi soleat: inter nobilium tamen ordines meritò recensendi sapientes & docti viri, qui nobilitatem sibi ipsi faciunt, atq; in genus suum refundunt, ideò laudabiliores, quòd eam à Majoribus nõ acceperint: quùm econtra videatur totus Illustris Familię honor in eo extingui, cui à sola origine debetur laus. Quòd si nobilitas à divitiis quoque oritur, ut fatetur Aristoteles l.4. Politic. c.4. & 8. multò potiori jure à virtute & sapientia, quã divitiis omnibus longè prætulit sapientissimus Salomon. Unde Aristocratia etiam Oligarchię pręstat: quòd illam virtute excellentes viri; hanc verò locupletiores regant atque administrent.

Ita-

Itaque Peripateticæ Philosophiæ synopsim benè cum Juvenale concludimus:

*Tota licet veteres exornent undique ceræ*
*Atria: Nobilitas sola est atq; unica virtus.*

---

## APPROBATIONES.

Adm. R.P. Ferdinandus Zucconi Soc. Jesu complaceat legere attentè hunc Tractatū, cui titulus est: *Philosophia Peripatetica, &c.* & recognoscat, an contineat aliquod quod S. Fidei Orthodoxę, & bonis moribus repugnet, & referat. Dat. die 5. Martii 1706. ab Inc.

*Nicolaus de Castellanis Vic. Gen.*

Eà, quà par erat, diligentia, legi, ac perpendi Tractatum hunc, cui titulus: *Philosophia Peripatetica ex mente S. Thomæ Aquinatis, per breves Theses ad Aristotelicam methodum explicata ab Alexandro à S. Sigismundo Schol. Piar.* & cùm multa curiosè satis ac feliciter dicta, nihilque dictum acatholicè, quod puritatem Fidei, ac morum lædere possit, invenerim; illum dignum esse, qui approbetur, affirmo. Die 22. Martii Anno Salutis 1707.

*Ferdinandus Zucconi Soc. Jesu.*

Attenta supradicta relatione imprimatur.

*Nicolaus de Castellanis Vic. Gen.*

Imprimatur.

*Vicar. Gen. S. Officii Florentiæ.*

*Joseph Bolognini vidit de Mandato Illustriss., & Clariss. D. Senat. Aud. Philippi Buonarroti.*

---

Indicitur Disputatio pro die Septembr. hoc anno Æręe Christianæ MDCCVIII.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

